

DE

PICTURA ET SCULPTURA

APUD

VETERES RHETORES

PICTURA ET SCULPTURA

GRATIANOPOLI. — EX TYPIS VINCENT ET PERROUX, VIA ARGENTORATENSIS, 9.

MYRIBIS LIBRARIAS

H. F. n. f. 80^a (177²)

DE

PICTURA ET SCULPTURA

APUD

VETERES RHETORES

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

E. BERTRAND

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS



LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7.

MDCCCLXXXI



H. N. 1. 800 (1885)

DE

PICTURA ET SCULPTURA

AD

VITAE RITORES

DISCIP

PROFESSOR

E. HERTLAND

NEW YORK



UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1885

DOCTISSIMO ET OPTIMO VIRO

FUSTEL DE COULANGES

VETERRIMÆ AMICITIÆ PIGNUS

D. D. D.

E. BERTRAND.

BOULEVARD ET QUAI DE
L'ESTER DE COULANGES

ESTER DE COULANGES

ESTER DE COULANGES

INDEX CAPITUM

PROCEMIUM.

- CAPUT I. — Quam parati essent legentium animi apud veteres ad probandum quidquid a pictura et sculptura scriptores mutuarentur. — Quid mutuati sint ab iis artibus Plato, Aristoteles et Plutarchus.*
- CAPUT II. — Quæ sit picturæ et sculpturæ cum eloquentia cognatio.
- CAPUT III. — Neminem rhetorum ante Ciceronem quidquam a pictura et sculptura in tradenda sua arte mutuatum esse.
- CAPUT IV. — De Cicerone.
Qualia fuerint in Cicerone picturæ et sculpturæ studia.
Quomodo Cicero, rhetoricorum operum scriptor, artificem se magis ac magis præbeat, una cum processu ætatis et ingenii.
Quid Cicero, dum de dicendi genere disserit, a pictura et sculptura mutuatus sit.

CAPUT V. — De Dionysio Halicarnaseo.

Quam impar sit Ciceroni Dionysius artium existimator.

Quid Dionysius judicet de Isocrate cum Phidia comparato. — Quomodo cum vetere et recentiore pictura veterem et recentiorem eloquentiam conferat.

Pauca obiter de Demetrio.

Qualis sit, ut Dionysio et Ciceroni videtur, facultas judicandi de pictura et sculptura.

CAPUT VI. — De Quintiliano.

Quam locuples sit auctor Quintilianus in iis quæ ad picturam sculpturamque spectant. — Quid in his rebus intelligat.

Quid Quintilianus in tradenda sua arte e pictura et sculptura petat. — Quam multa scite in hoc genere disputet.

De Quintiliano artis historico; quomodo diversas pingendi atque dicendi disciplinas inter se conferat.

CAPUT VII. — De Longino. — De cæteris reliquis rhetoribus. — Conclusio.

PROŒMIUM


Legentibus nobis ea quæ veteres de eloquentiæ ratione et de instituendo oratore tam egregie scripta reliquerunt, permulta passim occurrunt, e pingendi fingendique arte petita, quæ a præstantissimis illis dicendi auctoribus ad explananda illustrandaque artis suæ præcepta usurpata sunt. Scilicet periti illi doctores, quum velut cognatas esse artes perspexissent, iidemque nihil prætermitterent quod ad oratorem informandum explicandamque orationis vim ac naturam aliquid conferret, facile intellexerunt posse alteram alterius auxilio juvari, quippe quæ amice conjurarent. Ex utriusque mutua comparatione, quoties apte institui poterat, id assecuturos se arbitrati sunt ut præcepta eloquentiæ fierent illustriora ipsaque eloquentia, quam tanto studio colebant, magis eluceret. Proinde quæ de tabulis pictis ac statuâ disputari possunt, ea sæpe ad orationem transtulerunt.

Quum hoc nostro tempore multæ circa juvenum informandos animos et perpolienda ingenia quæstiones incidèrint, non alienum fuerit præclaram illam veterum disciplinam repetere, et exquirere possitne aliquid utile ex ea a nobis assumi. Mirum est enim quantum fingendi pingendique ars a nostris studiis hactenus abhorruerit. Nihil fere de ejus præceptis atque historia, nihil de ipsis artificibus

audiunt juvenes ; qui et quales fuerint præclarissimi inter eos et Polygnotus et Zeuxis et Parrhasius et Protogenes et Polycleetus prorsus ignorant ; de Phidia et Apelle vix aliquid suspicantur ; aliqua vix fama ad eorum aures pervasit exquisitissimorum apud veteres artis operum quæ, victa vetustatis injuria, adhuc exstant. Quid, quod non priscae tantum artis et alienæ, sed recentioris ac domesticæ premit illos incitiam ? Quotusquisque enim, exempli gratia, excellentes pingendi magistros, insignia hujusce ineuntis sæculi decora, aut novit omnino, aut si plane nescire nefas est, vel paucissimis verbis possit memorare, gnarus et quæ fuerint facultate et quæ eximia ingenii monumenta reliquerint ? Nec est quod juvenes illos arguas quasi tam egregiarum rerum sponte ac natura incuriosi essent. Vigent enim in animis liberaliter educatis ingenita earum studia, sed ut excolantur, ut efflorescant minime providemus. Fatendum est tamen nihil esse quod cum cæteris studiis et omni humanitate magis consentiat, nihil quo mentes ingenuæ ad majora altioraque erigantur.

Quanto rectius sapientiusque de hoc judicabant et consulebant veteres, adolescentium animos non passi rudes esse earum artium quæ ad picturam et sculpturam pertinent ; quod ex rhetorum libris præcipue apparet. Ut enim breviter omnia complectamur, ita rhetores in tradenda sua arte ad picturam et sculpturam respiciunt, ita multa ab iis artibus mutuantur, ut vere dici possit quasi uberrimos fontes eorum opera esse e quibus plura ii hauriant qui arti antiquæ investigandæ atque cognoscendæ operam impendunt. Nescio an plurimum, exceptis paucis omnino, Plinio præsertim ac Pausania, ad artis illius tam exquisitæ notitiam contulerint.

Itaque quid e pingendi fingendique arte quæsitum passim in operibus suis protulerint operæ pretium est, ut nobis quidem videtur, exquirere. Non enim jucunditatis solum causa sibi id assumpserunt adsciveruntque, sed quod perutile illud judicabant, et quod planius ac scientius de proposita re disseruisse sibi videbantur, si ad res similes legentium animos converterent. Nobis autem, ut vestigia illa ac monumenta antiquæ artis recensere et recolligere perquam jucundum est, in tanta operum omnium ad illam pertinentium jactura, ita et fructus aliquis videtur posse percipi si diligenter quæsiverimus quomodo magni illi magistri qui et omnium ætatum ingenia instruxerunt præceptis eloquentiæ, et nostræ quoque ætati, quamvis tot rerum usu edoctæ, aliquid afferre possunt quod etiamnunc addiscat, quomodo, inquam, ad dicendi disciplinam pingendi præcepta accommodaverint.



The first part of the paper is devoted to a general discussion of the problem of the origin of life. It is shown that the origin of life is a problem of the first importance, and that it is one of the most interesting and important problems of the present day. The author discusses the various theories of the origin of life, and shows that the most probable theory is that of spontaneous generation. He then discusses the conditions under which life could have originated, and shows that the conditions are not so favorable as is generally supposed. He concludes that the origin of life is a problem of the first importance, and that it is one of the most interesting and important problems of the present day.

CAPUT I.

Quam parati essent legentium animi apud veteres ad probandum quidquid a pictura et sculptura scriptores mutuarentur. — Quid mutuati sint ab iis artibus Plato, Aristoteles et Plutarchus.

I.

Antequam eam quæ propria est instituti operis quæstionem explicandam suscipiamus, non alienum nobis videtur paucis præfari quid causæ sit cur non modo in rhetorum libris, sed in iis operibus in quibus de variis rebus, de philosophia aut poesi aut moribus disseritur, multa occurrant præcepta vel exempla ex artificum libris petita ad rem propositam explanandam. Cujus quidem rei prompta erit explicatio, si illud animadverteris non ad paucos tantum, sed prope ad universos artis cognitionem apud veteres pervenisse, ita ut fere nemo, si modo esset aliqua ex parte liberaliter institutus, ab intelligentia abfuerit eorum omnium quæ ad picturam sculpturamque pertinent, licet recentioribus paulo reconditiores videantur duæ illæ artes, et a communi vulgarique sensu quodam modo sejunctæ. Non enim hoc solum inclaruit antiquitas quod magnam præstantissimorum in omni genere artificum copiam effudit,

sed etiam quod plerique mirum in modum artis et intelligentes exstiterunt et studiosi.

Etenim, præterquam quod studium illud omnium ingenii natura insitum erat, artis etiam scientia statim a pueris imbuebantur, et illa quidem per omnes vulgata; si quidem, ut a Plinio accepimus, Pamphili auctoritate, præclarissimi illius Apellis et Melanthii magistri, effectum est ut, Sicyone primum, deinde et in tota Græcia « pueri ingenui ante omnia graphicen, hoc est, picturam in buxo docerentur, recipereturque ars ea in primum gradum liberalium¹. » Quod eo spectabat ut cuncti tum in æstimanda corporum pulchritudine, tum in judicandis artificum operibus periti evaderent². Studia hæc permansisse usque ad sera imperii romani tempora suspicari licet ex Libanii testimonio, apud quem mentio est de magistris juvenes ad celeriter pingendum instituentibus.

Ad hanc puerilem disciplinam accedebat assidua quædam exquisitissimorum operum contemplatio ob oculos ubique obversantium in omnibus et templis et porticibus et plateis et ædificiis publicis, quorum tanta erat pulchritudo ut talia videndi et admirandi quotidiana consuetudine oculi mentesque erudirentur. Tam prompta parataque ingenia insuper edocebant ipsi artifices qui plerique, palam propositis non semel suis operibus judicia hominum exercebant, dum quid populus de se sentiret experiebantur. Narrat Lucianus Phidiam quum primum Olympium Jovem confecisset post templi fores latuisse, ibique vitia quæ notarentur auscultasse; postquam autem omnes discessissent diligenter

¹ Plin. lib. XXXV, 35, 13.

² Arist. Polit., VIII, 3.

correxisset quidquid jure reprehensum fuisse arbitraretur ¹. Sunt et alia multa ejusmodi exempla ², e quibus intelligi potest fuisse quoddam quasi artificum vulgique commercium in quo sibi invicem proderant, dum et vulgus artifices admonebat si quid in suis operibus peccavissent, et artifices vulgus artis suæ gnarum faciebant. Ne ipsa quidem pictorum inter se certamina, quæ sæpe fieri solebant ³, parum contulerunt ad excolenda ingenia, quum dijudicaretur quibus virtutibus quisque floreret, et quis dignus esset cui palma concederetur. Sed artis notitiam præcipue per omnes vulgaverunt multa ab ipsis artificibus scripta de arte opera quæ profecto non intra officinarum parietes continebantur, sed et manibus terebantur plurimorum. Nemo enim fere fuit præclarus pictor aut statuarius apud veteres, qui non, postquam artem suam egregie exercuerat, in eo elaboraverit ut ejus præcepta mandaret litteris, eaque ad cæterorum cognitionem perferret. Inde exstiterunt tot volumina, quæ Pamphilus ⁴ ac Melanthius ⁵ composuerant, quæ Apelles ⁶ ad Perseum de arte sua scripserat, quæ Protogenes de pictura et figuris ⁷, quæ Euphranor de symmetria et coloribus ⁸; quibus omnis artis doctrina, ut ex ipsis titulis operum apparet, continebatur. Nec pic-

¹ Lucian. pro imag., cap. XL, 14.

² Plin. lib. XXXV, 36, 22. Apelles perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus.

³ Plin. lib. XXXIV, 8, 19; lib. XXXV, 35, 1. — *ibid.* 36, 11; — Ælian, Hist. var., IX, 11.

⁴ Περὶ γραμμικῆς καὶ ζωγράφων ἐνδόξων, Suidas.

⁵ Περὶ ζωγραφικῆς. Diog. Laert. in Polemone, lib. IV.

⁶ Plin. lib. XXXV, 36, 17.

⁷ Περὶ γραμμικῆς καὶ σχημάτων βιβλία β', Suidas.

⁸ Plin. lib. XXXV, 11.

tores modo, sed et statuarii, quorum in numero Menæchmus et Antigonus, de fingendi arte libros ediderant ¹. Adde præterea innumera opera a viris picturæ studiosis composita, Polemone, Theophane, Hysicrate, Anaximene, Artemone, Antigono, Xenocrate, Callixeno, quibus annumerandi sunt Duris Samius ² et philosophus Democritus ³ et Juba rex, ille quidem studiorum claritate, ut ait Plinius ⁴, quam regno etiam memorabilior; qui scriptores omnem fere studiorum ad artem pertinentium materiam sane tractaverant, non omissis singulorum artificum vitis et tabularum variarum recensione. Sic Polemon, periegetes ille, librum de Sicyoniis tabulis composuerat ⁵; sic Pasiteles, inelytus apud Romanos fingendi artifex, plura etiam complexus, quinque volumina condiderat nobilium in toto orbe operum ⁶. Ne artis quidem studiosis defuerunt scriptores qui eos commemorarent laudibusque efferrent. Quibus celebrandis, tum regibus, tum etiam civitatibus operam impendit Aristodemus Carius, peritus idem et pingendi et scribendi artifex ⁷; qui quum circa Septimii Severi tempora floruerit, documento est illa scribendi de artibus studia diu apud Græcos viguisse.

In hac igitur tanta operum de pictura vel statuaria scriptorum copia et varietate, in omni ætate et apud Græcos et

¹ Plin. lib. XXXIV, 8.

² Περὶ ζωγραφίας. Diog. Laert. I, in Thalete.

³ Diog. Laert. IX in Democrito.

⁴ Plin. Hist. nat. V, 1.

⁵ Περὶ τῶν ἐν Σικυῶνι πινάκων, Ath. XIII, 2.

⁶ Plin. lib. XXXVI, 4, 26.

⁷ Philost. senior, εἰκόνας, in præmio. Vide Rossignol, *Dissert. sur l'ouvrage d'Anaximène de Lampsaque*, ubi nonnulla disseruntur de quibusdam veterum scriptis ad artem pertinentibus.

apud Romanos editorum, quî fieri poterat ut ex iis quæ de arte et scripta quotidie et investigata et disputata tam multa erant, magna pars ad omnium cognitionem non deflueret? Tantopere his rebus omnium animi delectabantur, tantaque erat earum notitia, ut in publico Eleus Hippias de pictura et statuaria disseruerit ¹; ut in ipsum theatrum quasi inducta fuerit pictura simul ac pictores; quod conjectare licet ex Alexis poetæ fabula quæ γρᾶφι inscripta erat. Hinc etiam Pherecratis et Alexandridis *Pictores*; hinc Diphili *Pictor*. Quæ fabulæ indicio esse possunt minime expertem fuisse multitudinem studii in rebus quæ ad artem spectant. Quo minus mirandum est, si scriptores permulta ad artem ejusque notitiam pertinentia in sua opera traduxerunt, si rursus paratissima fuerunt legentium ingenia ad ea et percipienda et probanda.

II.

Ne nimis multa exempla amplectamur, tria suffecerint: Plato, Aristoteles et Plutarchus, qui de philosophia atque constituendis civitatibus, aut de poesi, aut de moribus locuti, non semel a pingendi fingendique arte quædam deprompserunt. Mirum est enim quam creber in iis sit Plato qui toties ad duas illas artes convertit animum, dum de pulchro tam egregie disputat, quid et quale sit, et quibus rebus constet, et quæ sint ejus præcepta; imo de rebus quæ ab arte videntur alienissimæ. Cujus rei quum plurima exempla proferri possunt, tum nullum præclarius est quam illud

¹ Philost. βίαι σοφιστῶν, I, 11.

quod in libro *de Legibus* occurrit; ubi de tuendis civitatis institutis et ad meliora semper perducendis disserens, monet providendum esse legislatori ut aliquem post se relinquat operi diligentem manum admoturum ad singula quæque in melius corrigenda. Eum autem prorsus similem esse ait ac si quis pictor, qui tabulam eximie pingendam suscepisset, ut nec corrumperetur vetustate et politissima arte paulatim perficeretur, illam artificii post se traderet qui temporis resarciret injuriam, et adumbrata lineamenta exquisitius elaboraret. Qua in re explicanda Plato sic de artificibus loquitur aliquid semper et præclarius et perfectius quasi anxie perquirentibus, ut appareat ipsum summum esse artificem. « Pictorum, inquit, operosæ industriæ nullus est modus, elaborantium in faciendo unoquoque animale; sed ii nunquam cessare videntur posse, dum colores illinunt aut illitorum perficiunt commissuram aut quocumque alio nomine id pictores vocant, opus semper expolientes, donec nihil jam sit reliquum quod possit adjici quo major accedat et pulchritudo et evidentia iis quæ pinguntur ¹. » Quo in loco id præcipue notandum est duobus vocabulis Platonem uti ex artificum lingua depromptis, *χραίνειν* et *ἀποχραίνειν*; quorum prius *colores penicillo inducere* (*χρῶζειν διὰ τοῦ βῆδίου*) significat; alterum vero eos ita deducere ex aliis in alios ut unus fiat ex pluribus juxta positis (*τὰ χρωσθέντα ἐνοποιεῖν*); in cujus rei interpretatione multi hæserunt ².

¹ Plato, νόμοι, VI, οἷσθ' ὅτι κατὰ πῦρ ζωγράφων οὐδὲν πέρασ ἔχειν ἢ πραγματεία δοκεῖ περὶ ἐκάστων τῶν ζώων, ἀλλ' ἢ τοῦ κραίνειν ἢ ἀποκραίνειν ἢ ὅτι δὴ ποτε καλοῦσι τὸ τοιοῦτον οἱ ζωγράφων παιῖδες, οὐκ ἂν ποτε δοκεῖ παύσασθαι κοσμοῦσα ὥστε ἐπίδοσιν μικρὴν ἔχειν εἰς τὸ καλλίως τε καὶ φανερώτερα γίνεσθαι τὰ γεγραμμένα.

² Gallice : *poser et fondre les tons*. Vide Timæi Lexicon Cf. Arist.

Paulo longius oratio nostra proveheretur, si omnia hujusmodi exempla liberet proferre quæ passim reperias occurrentia in variis Platonis scriptis, quæ de *Republica*, vel de *Legibus*, vel de *Sophista* condidit. Ne multa, artis commemoratione magnopere videtur delectari; nec mirum, si quidem etiam in tractanda philosophia ea studia recolit quibus fuerat juvenis deditus. Ita enim memoriæ traditum est, ut Socratem sculpturam, sic picturam Platonem in adolescentia attigisse.

Cæterum philosophos eos qui ex Socratica disciplina exstiterunt constat omnes artis studio fuisse incensos et multum de iis doctrinis quæsivisse quæ circa illam versantur, magistri exemplum in hoc secutos quem videmus apud Xenophontem cum artificibus tam libenter de pingendi vel fingendi arte confabulantem¹. Sic Critonem et Simmiam thebanum et Simonem de pulchritudine scripsisse accepimus; sic de arte ipsa et eundem Simmiam et plures insuper alios, Speusippum Platonis discipulum et Xenocratem. Inter quos præcipuum locum obtinet Aristoteles, non ille quidem in universi generis quæstione tantum versatus et in iis quæ latissime patent, sed et ea, quæ technicorum sunt, etiam scrutatus. Neque enim contentus doctrina in medio posita, ea quæ reconditiora ad artificum scientiam proprie videntur pertinere investigavit. Hinc illa quæ passim in scriptis suis scite disserit, quæ de umbræ et luminis, quæ de colo-

de color., cap. V, 34. Vide etiam infra, ubi disseritur quomodo sit explicanda *σκιᾶς ἀποχρῶσις* ab Apollodore pictore inventa; Henr. Steph. Thes. græc. ling., ad verb. *ἀποχρῶσιν*; Letronne, *Lettres d'un antiquaire*, p. 388, note, ubi vir doctissimus falso suspicatur vocem *ἐνοποιεῖν*, a Timæo egregie prolatam, corruptam esse.

¹ Xenoph. Memorab., lib. III, 10 et 11.

rum ratione; sive de eorum differentia sese invicem commendantium, sive de iis qui subliti trans colorem superinductum pellucent ¹. Notabilia prorsus hæc sunt et digna quibus paulum obiter immoremur. Quis nescit ea quæ hac nostra ætate a doctissimo viro exquisite et investigata sunt et explicata de coloribus? Qui, postquam in eorum naturam et vim tam diligenter inquisivit, præclaras illas leges invenit ac definivit quibus obstricti sunt. Insignis est liber, et ejusmodi ut non modo a viris qui proprie docti dicuntur legendus sit, sed etiam ab artificibus. In eo enim cernitur quomodo juxta collocati et oppositi colores sese invicem ita afficiant ut aliquid ex naturali eorum specie mutetur ². Id autem recentiorum scientiâ erutum non fugerat Aristotelem qui quum multa de hoc egregie, tum illud imprimis notat: « In texturis et variorum colorum operibus nonnullos colores prout sibi invicem apponantur, specie esse dispares magis quam dici possit, veluti purpuras in albis nigrisve lanis; unde accidat ut qui telas variis coloribus texant, si ad lucernam operentur, sæpe errent alios pro aliis sumentes ³. » Quæ verba si conferentur cum iis quæ in libro supra dicto disputata sunt, quis non intelliget aliquid subesse commune ⁴?

Non modo vim colorum penitus perspexit Aristoteles, sed et arcanas quasdam pictorum artes in iis illinendis adhibi-

¹ Gallice: *les glacis*.

² Chevreul. *Des couleurs et de leur application industrielle*, 1864. *Loi du contraste simultané des couleurs*.

³ Aristot. *Meteor.*, lib. III, cap. V, 29.

⁴ Quod dicit Aristoteles *διαφέρει τῇ φαντασίᾳ ἄλλα παρ' ἄλλα τιθέμενα ἓνα τῶν χρωμάτων* id mire congruit cum his verbis: *contraste simultané des couleurs*. Cf. etiam illud a Plinio dictum *differentia colorum alterna vice sese excitante*, lib. XXXV, 11.

tas. Quam notatione dignum est illud quod de coloribus super alios inductis tradit! Memorandus est locus, ut in quo deprehendatur apud veteres artifices quidam pingendi mos atque usus a recentioribus artificibus multum usurpatus. Nempe, dum docet Aristoteles quibus variis modis fiant colores, hunc inter cæteros profert ab artificibus adhibitum: solere eos colorem alterum alteri clariori superlinere ita ut is qui subtilis sit trans alterum pelluceat; hac autem pingendi ratione uti quum efficere velint ut quidpiam in aqua aut in aere appareat; sic solem per se quidem apparere album, puniceum vero per caliginem¹. Hæc atque talia ab Aristotele disseruntur, cujus exstat etiam nunc liber de coloribus cognitione dignissimus.

Quid plura? Artificis ut studia Plato ita eruditionem ac scientiam Aristoteles exhibet. Proinde hic de poesi disputaturus ad hoc suscipiendum munus accedebat minime impar conferendis inter se picturæ et poesi, quas apud veteres arctissima fuisse societate conjunctas comperimus. Quo magis mirum est quod tam parce, tam modice in Poetica ea utitur scientia quam est adeptus. Pauca enim ad artem spectantia ibi deprehendas, ea tamen quæ plurimi facias. Sed nihil jucundius est quam quod notat in definienda illa imitatione a qua omnes artes proficiscuntur².

¹ Arist. De sensu, cap. III. Εἰς τῶπος τῆς γενέσεως τῶν χρωμάτων... τὸ φαίνεσθαι δὲ ἀλλήλων, ὡς ἐνίοτε οἱ γραφῆς παιδοῖσι, ἑτέραν χροῖαν ἐπ' ἑτέραν ἐναργεστέραν ἐπαλείφουσιν. Duo colores apte distinguit Aristoteles inferiorem vocans τὰ ἐν βάθει superiorem τὰ ἐπιπολῆς. Cf. Plinium de quorundam colorum compositione. « Pingentes sandyce sublita, mox ovo inducentes purpurissum fulgorem minii faciunt. Si purpuram facere malunt, cæruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt. » Plin. lib. XXXV, 26, 2.

² Arist. Poet., cap. II.

Polygnotum scilicet affirmat homines effingere natura humana specieque majores, pejores Pausonem, Dionysium vero quales reipsa sint; pictoribus autem respondere poetas, Polygnoto Homerum, Pausoni Hegemonem, Cleophonem Dionysio. Qua Homeri cum Polygnoto collatione quantopere tenentur animi, et quam multa ex uno verbo comperimus de vetere illo pingendi auctore! Quid mirum autem si uno illo artifice præter cæteros delectari videtur Aristoteles quem et in pingendis moribus excellentem prædicat et ¹ Zeuxidi ipsi ob id anteponit et juvenibus ad imitandum proponi oportere arbitratur ². Quæ ad eandem morum imitationem pertinent reliqua persequi jucundum profecto esset, ni nostrum propositum nos hortaretur ut ad cætera pergeremus. Nonne enim præclare monet Aristoteles ³ poetæ personas fingenti imitandum esse pictorem illum exhibentem oris lineamenta ex exemplari fideliter descripta, sed eadem perducta ad eximiam pulchritudinem? Jam illud quod de fabula profert cum moribus in tragœdia comparata ⁴, quam scite dictum! nempe in illa vim omnem tragœdiæ inesse, hos autem secundum obtinere locum; non secus ac si quis pictor pulcherrimos colores tabulæ fuse induceret, non tam delectaret animum quam si lineis tantum ductis ex albo describeret imaginem: unde perspicue cernitur quid lineamentis et formis, quid

¹ Arist. Poet., cap. VI, 2.

² *Id.* Polit., VIII, 5, 7.

³ *Id.* Poet., cap. XV. Ομοίους ποιῶντες καλλίους γράφουσιν.

⁴ *Id.* *ibid.* cap. VI, 2. Ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγωδίας, δεύτερον δὲ τὰ ἔθη. Παραπλήσιον γὰρ ἔστι καὶ ἐπὶ τῆς γραφικῆς· εἰ γὰρ τις ἐναλείψει τοῖς καλλίστοις φαρμάκοις χυθὸν, οὐκ ἂν ὁμοίως εὐφράνειεν καὶ λευκογραφίας εἰκόνα.

colorum varietati censeat esse tribuendum Aristoteles. Sed omittenda hæc et ad Plutarchum properandum, de quo pauca quoque dicenda sunt.

Admirabile est enim quam multa quum de cæteris rebus ad veterum mores institutaque pertinentibus, tum de pingendi arte artificibusque non dedita opera protulerit. Crebra hæc in ejus scriptis artis commemoratio documento est vulgatam fuisse per omnes doctrinam illasque notiones quæ circa picturam versantur in plerorumque mentes sensim pervasisse. Permulti exstiterunt privati picturæ sculpturæque studiosi. Privatos dico? Quid reges? Quid civitates etiam præclaris iis quæ possident præstantium artificum operibus mire delectatæ? Adest tum Plutarchus, ipse quidem minime artifex, ut Plato, neque ea imbutus recondita scientia qua Aristoteles, sed illa quæ jam publici juris facta est. Acerrimus omnis rei investigator non picturæ defuit inspiciendæ; imo quædam penitus perspexisse videtur. Longum esset ea singula exsequi quæ nobis de arte tradit obiter, de colorum deque umbræ ac luminis ratione, de ipsis artificibus. Qui Athenis ¹, qui Sicione pictores floruerint ², quid secuti sint memorat, breviter quidem, sed magna cum nostra utilitate, exstantibus tam paucis earum rerum monumentis. Hoc autem præcipue est notandum, quod quidem ejus proprium est ac peculiare, nempe quam jucunde pleraque quæ in his rebus didicit ad mores transferat; sicut, exempli gratia, quum monet ei qui beate vivere velit et ea discutienda esse quæ animum angant et expromenda quæ eum juvent, non inconcinnam

¹ Plutarch. De Glor. Athen., cap II, ubi multa de Euphranore.

² *Id.* in Arato.

ducit similitudinem e consuetudine pingendi ¹ qua inducti curant artifices ut in tabula si qui floridi sint ac læti colores, emineant, si qui austeri, obruantur. Quo in loco ad illam legem respicere mihi Plutarchus videtur qua pictores jubentur ita colores varios disponere ut in media tabulae parte quidquid lucet collocent, umbris, quantum fieri potest, in utrumque latus compulsis. Cui præcepto dispositionem tabulae obnoxiam fuisse in veterum pictura e Plutarcho comperimus.

Sed non diutius in Plutarchi scriptis nobis licet morari ad rhetores pergere properantibus. Si et hujus et caeterorum veterum scriptorum opera pervolveremus, facile esset plura etiam hujusmodi exempla persequi quibus declararetur quam callidi artis fuerint et quam multa ab ea sint mutuati ut rerum aut similium aut cognatarum comparatione majus litteris lumen accederet. Satis sit ostendisse, ut caeteros omittamus, quid Plato, quid Aristoteles ac Plutarchus in hoc secuti sint, ut intelligatur eos in dissimilibus rebus edisserendis versatos tamen communi studio parentes non semel plura e pictura ac statuaria ad scribendi consuetudinem traduxisse.

¹ Plutarch. De tranquillitate, cap. XV.



CAPUT II

Quæ sit picturæ et sculpturæ cum eloquentia cognatio.

Ut jam reliquis prætermissis, ad artium rhetoricarum scriptores perveniamus, id quod est proprium instituti operis, docendum est quomodo pictura et sculptura quasi rhetoricæ comites ac ministræ sæpe ad ejus explicanda et exornanda præcepta suam doctrinam suppeditaverint.

Si quis artium vim naturamque penitus perspexerit, facile intelliget eas, ut specie dispares esse, sic similitudine clam conjunctas; ita ut quædam sit omnium inter se societas et quasi aliarum cum aliis cognatio ¹. Quæ enim in unaquaque hujusmodi sunt ut ad illa referri oporteat omnia, ipsa autem nusquam referantur, ea, latissime patentia, non sunt propria singularum, sed cum universis communia. Cohærent apte inter se, et unum quoddam velut corpus conficitur ex pluribus. Tum porro ad id revocantur cujus natura, etsi varia est et multiplex, tamen præter cæteras una est, nempe ad humanum ingenium quod, ad quascumque artes se intendit, sibi constat, iisdemque paret legibus; unde fit ut universæ per sese invi-

¹ Cir. De Orat., III, 6.

cem connexæ, etiam aretiore vinculo jam devinciantur. Unus omnium ordo, una facies apparet.

Tot tantarumque rerum cognatio qualis sit diligenter exquirere profecto pulchrum esset; sed tam magna difficilisque indagatio non ad propositum nostrum pertinet. Unum profiteamur atque suscipimus, scilicet id, ut omnia cæterarum artium reliquarum inter se societate, inquiremus quæ sit picturæ et sculpturæ cum eloquentia cognatio; qua hæc freta tam multa ab illis mutuata est, ut sua præcepta illustraret.

Affines esse illas artes et quadam propinquitate conjunctas quis est qui non pervideat, si modo attente rem velit inspicere? Quam multæ enim utrinque regulæ communes! Hoc contendere nemo dubitaverit plurima quæ in libris rhetorum contineantur dicendi præcepta ad picturam transferri posse, leviter immutata, novo illi generi ut accommodentur. Quid de arte in universum disputari potest quod non idem et oratoribus et artificibus pariter conducat? — Nullam esse artem, si appareat ¹; — magni esse momenti inspicere quid deceat ²; — nihil pulchrum esse nisi ejus naturalis sit, non fucatus nitor ³; de quibus omnibus multa et Cicero et Quintilianus exquisitè disserunt. Quid dicam de dispositione et elocutione? « Quæ in pingendo dicitur summa, id est universæ rei species, eadem in scribendo est universi generis quæstio. Ea demum luculente opera sunt scripta in quibus omnis res explicanda ad

¹ Quint. Inst. Orat., IV, 2. — Cf. quæ Plinius narrat de Protogene: *Displicebat ars ipsa, etc.*, lib. XXXV, 36.

² Cic. Orator, XVIII, 74.

³ Cic. Brutus, IX; Cf. Quint. Inst. Orat., lib. VIII, in præmio; lib. V, 12, 17 et seqq.

universum genus refertur. Bossuetii oratio quæ omnem rerum humanarum memoriam complectitur, non aliter in maximas quasdam inter se cohærentes partes distributa est quam Leonardi Cœna, aut una ex illis tabulis in quibus locorum situs tam egregie repræsentavit inclytus ille artifex ¹. Is liber qui Telemachus inscribitur velut Sancta Familia Raphaelis descriptus est, non dissipatis, sed congregatis et connexis inter se rebus; in quo et singula quæque politissima arte scriptor exsecutus est ². » Quocirca et in oratione et in tabula picta pariter omnia ad eandem componendarum rerum regulam rediguntur, ita ut tum universa, tum singula possis contemplari; exstantia alia, alia recedentia; cuncta denique ad id perducta ut inter se apte constent. Neque enim aliter in pingendo, aliter in scribendo præcipi solet, quod intelligi potest ex illis exquisitissimis artis poeticæ versibus quos omnes unus breviter complectitur :

Denique sit quodvis simplex duntaxat et unum.

Quid? quod ad colores variandos et ad linearum subtilitatem examinandam pertinet, nonne aliquid ex eo ad dicendi consuetudinem ac disciplinam potest deduci? Sua sunt enim, ut picturæ, sic et eloquentiæ lineamenta, sui colores, sua, ut ita dicam, luminum umbrarumque ratio ³. Eadem est verborum atque colorum apte collocandorum vis et potestas, in quibus paria paribus relata, adversa contrariis invicem commendantur ⁴; eadem sunt artes

¹ Le Poussin.

² Ed. About, in libro de tabulis palam expositis, 1857, cap. II.

³ Gallice : *Clair-obscur*.

⁴ Cic. Orator, XVII, 65.

variæ ad res aut obscurandas aut illuminandas¹. Ne in faciendo quidem opere pingendi dicendique artifices inter se prorsus discrepant, si quidem communis est quædam ratio styli ac penicilli. Denique in utraque arte varia sunt artificum studia, variæ voluntates². Ut in eloquendo alii lineamentis excellunt, sicut Lysias ex Græcis³ et Cato⁴ apud Romanos, alii autem pigmentis ac coloribus, ita alii in pingendo ingenii acumine, ut Timanthes, alii eruditione ac scientia. Neque minor videbitur similitudo si utriusque artis historiam quam si disciplinam intuitus eris; unde fit ut rectissime inter se conferantur dicendi aut pingendi auctores quibus non una omnibus forma placuit, partim conditione vel temporum vel locorum, partim iudicio cujusque atque proposito; de quibus rebus quædam Cicero, et scite quidem, plura Quintilianus disseruerunt.

Quamvis autem multa paria esse ac similia in his rebus prædicemus, monendum est tamen veteres in iis inter se conferendis ea esse moderatione usos quam egregie notavit ille scriptor qui tam præclare de Laokoonte disputavit. In quo libro cum multa acute, tum illud animadvertit quasi veterum proprium id fuisse ac peculiare ut nunquam modum excederent; in comparandis invicem artibus eum dicendi modum, eam diligentiam illos adhibuisse quam etiam nunc in Aristotele, in Cicerone, in Horatio et in Quintiliano laudamus, ad poesim et eloquentiam picturæ præcepta et usum in suis scriptis transferentibus.

¹ Cic. De Orat., III, 26.

² *Id.* Orator, X, 37.

³ Dion. Isæus, cap. III et IV.

⁴ Cic. Brut., LXXXVII.



CAPUT III

Neminem rhetorum ante Ciceronem quidquam a pictura et sculptura in tradenda sua arte mutuatum esse.

Instituenti Tullio in scriptis suis multa proferre ex duabus illis artibus deprompta ut res de quibus disserit explanaret insignium quidem non defuit exemplorum auctoritas, Platonis scilicet præter cæteros, ut supra diximus, et Aristotelis quorum vestigiis in hac re, ut in multis, instituisse eum nemo dubitaverit. Prior enim, quo potissimum magistro in philosophia usus est, hujus scribendi consuetudinis præclara ei dabat documenta. Sed fatendum est Tullium omnium rhetorum principem hanc ad explicanda eloquentiæ præcepta transtulisse. Ipse enim Aristoteles qui in Poetica picturam pingendique artifices non semel commemoravit, in eos libros qui circa dicendi scientiam versantur ne minimam quidem artium mentionem intulit. De quibus cur conticescat ea fortasse subest causa quod in his operibus quædam eminent scientiæ austeritas. Abest enim inde omnino artium studium ac cognitio; omnia sunt ejus qui acute cuncta disserit, et de moribus inquirat, et civilem scientiam pertractat. Ea est in conquirendis argumentis subtilitas, ea in reconditis rebus investigandis diligentia ut appareat scriptorem magis curare quid verum sit quam quid pul-

chrum. Etiam in iis quæ ornatissime dici potuisse videntur et elegantissime, scriptor, utpote qui nihil prorsus voluptatis ac delectationis causa aucupetur, id unum spectat, ut omnia et dilucide et presse et subtiliter, sicut geometras ac mathematicos decet, persequatur. Nihil est nisi concisum ac grave. Quam quidem dicendi tristitiam vel in iis locis retinet ubi, in notandis hominum naturis, tam sedulo omnia orationis lenocinia quasi fastidiose repudiat, hoc uno contentus si uniuscujusque ætatis mores quales sint penitus investigaverit et exactis lineamentis descripserit. Itaque animus ejus in sententiarum gravitate totus occupatus ab iis prorsus abhorret, ut par erat, quæ jucunde et concinne de artibus comparandis possunt disseri. Si quid aliunde petendum est, id potissimum haurit ex ea quæ proprie dicitur scientia; et rhetoricam qualis ars sit definitione aperiens cum medicina comparat. Corporis pulchritudinem describenti nullum ex iis divinis exemplaribus quæ Græcorum artes exhibent ob oculos mentemque obversatur. Unum tantum est in ejus libris ¹, et id quidem novum omnino a nostraque consuetudine prorsus abhorrens, in quo velut quoddam indicium apparet mentis a pulchritudinis admiratione non alienæ, et ad artes respicientis. Nempe quum civitates pariter everti demonstrat, ubi nimia sive paucorum sive multorum potentia laborant, sublata omni imperandi moderatione, nihil aliud cogitat quo quid dicere velit exemplo illustret, nisi rectam illam nasi lineam qua nihil perfectius a Græcis habebatur; quæ quidem omnino corrumpitur prout magis aut recta est, aut incurva.

Nulla est igitur artium recordatio apud Aristotelem in

¹ Arist. Rhet., I, cap. IV.

explicandis rhetorum præceptis ; num autem putandum est majorem fuisse eam apud cæteros artium scriptores quorum opera nunc desiderantur, apud Gorgiam scilicet et Alcideam, Gorgiæ discipulum et eos omnes quos Plato appellat *λογοδαδάλους*, denique apud Isocratem. Licet posterior in unius e suis orationibus principio Phidiam et Zeuxin et Parrhasium, æquales suos, præstantissimos illos artifices semel respiciat ¹, difficile est de reliquis ejus operibus quæ ad rhetoricam spectabant aliquid suspicari. Quid Theophrastus, Aristotelis discipulus ? Quid Hermagoras ? Quid postea Molo ? num in suis artibus aliud quidquam nisi eloquentiæ præcepta ediderunt ? Profecto non est quod aliquid certi proferas. Si quid tamen conjectare licet ex iis quæ dicit Quintilianus quum memorat quid græci rhetores de hac aut illa re senserint, existimandum est eos se intra artis suæ fines continuisse. Quid plura ? Nonne multis in locis trita ac vulgaria Græcorum præcepta Tullius ipse incusat ? Quorum usus adeo percrebuerat ut ea quum ipse sciens in libris suis omisisset multi, teste Quintiliano, desiderarent. Quæ ex priscis institutis rite tradita sunt a rhetoribus illis qui sub imperio Cæsarum floruerunt, Hermogene, Aphthonio, Theone, nonne indicant veterem quamdam docendi disciplinam atque consuetudinem in Græcorum semper scholis permansisse.

Quod ad latinos rhetores attinet, minime dubium est quin tritam viam institissent ; nisi forte novum aliquid atque egregium excogitasse eos credimus qui Crassi oratoris ætate exstiterunt ; quos ipse edicto censor sustulit omnis doctrinæ expertes, quum eorum schola nihil aliud esset quam « ludus

¹ Isocrates, *περί τῆς ἀντιδόσεως*, in initio.

impudentiæ¹ ». His remotis, ante Ciceronem nullus est qui aliquid de hac materia condiderit præter Catonem et Antonium, cujus inchoatum opus relictum est imperfectumque, et paucos minus celebres. Quocirca judicandum est rhetoricam usque ad Tullium quasi intra scholæ parietes inclusam in finitimum artium regnum nondum pervenisse. Ciceronis igitur illud proprium sit, quod princeps novum illud et antea fere inauditum instituendi oratoris genus auspicatus est, picturæ ac statuariæ exempla non semel cum rhetoricæ præceptis conjungens. Primus rhetoribus artium aditum quasi patefecit, ut eorum animos ex artium minorum præceptorum vinculis solutos ad altiora majoraque erigeret.

Non abs re igitur alienum est, quum Cicero ad picturæ præcepta atque historiam dicendi disciplinam sæpe revocaverit, inquirere priusquam ad inspicienda opera quæ de rhetorica scripsit perveniamus quid sit de eo artium existimatore judicandum et qualia fuerint ejus in cognoscenda pictura studia, ut statuamus quatenus ei de his rebus disserenti tribuenda sit auctoritas.

¹ Cic. De Orat., III, 24.



CAPUT IV

DE CICERONE

I

Qualia fuerint in Cicerone picturæ et sculpturæ studia.

Ex omnibus litterarum monumentis satis constat Romanorum ingenium, non illud quidem Græcorum disciplinis expolitum, sed rude adhuc, quale proprium gentis erat, ab omnibus artibus semper abhorruisse. Quam acriter invecus sit priscus ille Cato adversus præclara Græcorum opera Romanam illata eamque admirationem quam apud quosdam concitabant, neminem fugit. A Sallustio de causis morum corruptelæ disserente traduntur Romani insuevisse in Asia primum « amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari ¹ », pessimis vitiiis et turpissimis cum egregio illo pulcherrimarum rerum studio promiscue permixtis. Næ, indignum fuisset ac turpe si principes civitatis, si eos qui magna bella gessissent, magnis imperiis et provinciis præfuissent, stupidos detinuisset Echionis tabula aut si-

¹ Sallust., Catilina, cap. XI.

gnum aliquod Polycleti ¹. Jactata illa tantopere a Græcis præstantium artificum opera, quid aliud tandem sunt quam oblectamenta puerorum? Habeant sane ea victi, servitutis solatia, iisque delectentur, abjiciat vere romanus animum laude dignum gerens.

Huic romanæ arrogantæ victarum gentium artes fastidiose respicienti mirum est quantum in publico Cicero morem gerat et assentetur. In oratione adversus Verrem haud semel palam prædicat quam levia hæc sint, quam contemnenda Romanis; se parum in his rebus intelligere, id esse « nescio quid nugatorium ² ». Dixeriſ eum, quod a Verre idiotam se vocari tam libenter profiteatur eo nomine quasi superbire. Sed ea quam præ se fert artium incitia, id fastidium, caveamus ne quasi vera essent interpretemur. Nihil nisi fictum ac simulatum est. Ut eorum qui audiunt serviat religioni, ut suam ipsius coram iis dignitatem tueatur, idcirco sic agit. Quin etiam in hoc fere ipso loco ubi se jactat velut artium contemptorem, quanti eas faciat significat imprudens. « Tu videlicet solus, exclamat Verrem appellans, tu solus vasis corinthiis delectaris, tu illius æris temperationem, tu operum lineamenta sollertissime perspicis ³?... » Sed ex epistolis maxime cernitur quam mire his omnibus et ipse delectetur, quanto efferatur studio ea et videndi et possidendi. « Genus hoc est voluptatis meæ », inquit in epistola ad Atticum scripta; qua usque adeo delinitur ut « ab aliis prope reprehendendus sit ». Ita sui ipsius prorsus dissimilis, aliter quasi publice sentit et afficitur coram

¹ Cic. Parad., V.

² *Id.* De signis, XIV.

³ *Id. ibid.*, IV, 45.

judicibus, in causis perorandis, aliter privatim in epistolis et cum amicis agens.

Certe dicendi gloria exsultans, cætera omnia eloquentia inferiora putat, vel picturam, vel ipsam poesim « *leviora illa ac minora studia* ¹ ». Sed quam libenter istis artibus ignoscit tantam ipsi delectationem afferentibus ! Cæterum jamdiu exarserant multorum studia veterem illam disciplinam aspernantium. Haud infrequentes erant callidi artium existimatores quorum in dies crescebat numerus. Ut Cæsarem dictatorem omittamus qui duas illas inclytas Timomachi tabulas, Medeam Ajacemque octoginta talentis emit ², quem mox consecuturi erant et Messala et Pollio et multi alii eodem studio incensi, nonne et alia magis idonea exempla Ciceronem movebant ? Varronis scilicet, multum ac diu in scientia rerum ad artem artificesque pertinentium versati ; Hortensii autem præter cæteros, quem adversarium in foro habuerat, aut potius, ut ipse dicit, consortem gloriosi laboris ; qui a Plinio traditur Cydiæ tabulam Argonautas mercatus esse ³, eique H S CXLII ⁴ emptæ ædem fecisse in Tusculano suo ut tam excellens opus in digna sede collocaret ⁵. Neque Hortensius tantum, sed cæteri Ciceronis apud Tusculum vicini hæc studia, has delicias colebant, domosque habebant tabulis pictis ac statu-
tuis refertas. Proinde mature suam villam his omnibus rebus exornare cupiit, ut delicatus et ipse audiret atque elegans. Attico in Græcia commoranti id mandat ut ea con-

¹ Cic. Brutus, XVIII.

² Plin. Hist. nat., VII, 40, 6.

³ *Id. ibid.*, XXXV, 130.

⁴ 30, 240 fr.

⁵ Plin. Hist. nat., XXXV, 40.

quirat, ea mittat quæ « et nostri studii, inquit, et tuæ elegantiae esse videbuntur. » Jam quo gaudio exultat quum signa quæ Atticus ipsi emenda curavit, nuntiantur ad Caietam exposita ! Ecce adsunt nunc Hermæ quidam Pentelici cum capitibus æneis, nunc Hermathena ! Scilicet ornamenta γυμνασιώδη vehementer appetit omnia, nempe ea quæ ad gymnasium, sic appellat bibliothecam, ornandum apta sint ¹. Quid plura ? Est in Tusculano porticula quædam venustissima ubi, quo major inesset lepos ac loci jucunditas, nova instituta sunt exedria : ea est qua gaudet, quam tabulis potissimum exornare destinavit. « Etenim, si quid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat ². »

Solent ii demum in his rebus multum intelligere qui multa viderunt. Nam iis quæ artificiose facta sunt quam plurimis inspiciendis ac contrectandis subtile iudicium elegansque paratur. Atqui vidisse multa se ipse Cicero testatur ³. Romæ, in ipso foro, quot eximia opera ejus oculos ad se convertebant. Si quando vacuo animo erat, si quid ad recreandam mentem a forensi labore strepituque requirebat quod miraretur summo artificio elaboratum, aut ad ædem Felicitatis ibat ⁴ aut ad Cæciliæ monumentum aut in porticum Metelli ; quæ omnia ædificia tabulis pictis staturisque referta erant, ex cunctis terrarum locis victoria eo comportatis. Neque ea tantum ibi spectabat quæ palam proposita semper permanebant ; sed quæ sæpe in publico ad tempus edebantur. Nempe ædiles populo satisfacere se posse

¹ Cic. ad Att. I, Epp. 1, 2, 4, 5, 6, 8, 9.

² Id. Ep. ad fam. : ad Gallum, VIII, 23.

³ Id. De signis, XLIII.

⁴ Id. *ibid.*, LVII.

non arbitrabantur, nisi quum multa undique conquirerent, tum si qua essent exquisita artis opera, ea, hospitum aut amicorum suorum ornamenta, e provinciis arcessita, in foro et basilicis exhiberent, post paucos dies remissuri ¹. Si in Tusculano agebat Cicero, ibi quoque minime expers erat hujusmodi deliciarum; nec dubium est quin et ipse haud semel dederit operam ² ut aliquam in splendidam villam unius ex iis quos beatos appellat, admitteretur, ad inspicendum quidquid in ea aut tabularum pictarum egregie aut affabre factorum signorum inerat. Ut in Italia, ita in omnibus etiam provinciis quod erat uspiam insigne, quacumque ei iter erat, invisisse videtur. Ut enim quisque romanus in aliquam græcam civitatem devenerat, excellentissimo quodam singularis aut vetusti artificii opere superbientem, statim ad illud visendum deducebatur. Sic, ubi quæstor in Siciliam venit, Segestani priscam illam suam Dianæ statuam ultro demonstraverunt ³; sic Ialysum Protogenis Rhodii ⁴, sic et Athenienses Vulcanum Alcamenis. Omnia in toto orbe nobilissima opera, ad quæ conspicienda undique omnes confluebant, novit atque commemorat ⁵, et Cupidinem Praxitelis qui Thespi spectabatur, et ejusdem artificis marmoream Venerem quæ Cnidi, et illam alteram pictam ab Apelle quæ in Coa insula, et Alexandrum apud Ephesios, et Ajacem ac Medeam apud Cyzicenos, et apud Athenienses Iacchum ex marmore aut Protogenis Paralum, aut ex ære Myronis buculam. Ea sunt, inquit, « quæ apud

¹ Cic. De signis, III.

² *Id. ibid.*, LVII.

³ *Id. ibid.*, XXXIV.

⁴ *Id. Orat.* I, 5.

⁵ *Id. De signis*, LX.

quosque visenda sunt tota Asia et Græcia, » ea porro quæ, ut suspicari licet, ipse vidit quum easdem provincias adulescens adhuc peragraret, ad suam in eloquendo facultatem Græcorum præceptis exemplisque perpoliendam. Qui enim fieri potest, verbi gratia, ut præclaram illam Apellis Venerem, sicut tot alia minoris pretii, non viserit, inspexerit, admiratus sit ; quæ semper ita recursat menti ut eam potissimum ejus mentem vehementer permovisse sit credibile ; quam in omnibus scriptis, sive de eloquentia, sive de officiis, sive de philosophia disputat, sive quum de seriis agit, sive quum in epistolis ad amicos jocose aliquid scribit aut facete, unam imprimis proferre, unam prædicare solet.

Quam multa enim ab ea mutuatur exempla ad ea explananda de quibus disserit ! Si quæ sit epicurei dei natura inquirat, illa præsto est : « Dicemus idem quod in Venere Coa ; corpus illud non est, sed simile corpori ; nec ille fusus et candore mixtus rubor sanguis est, sed quædam sanguinis similitudo ¹. » Si illud confirmare vult non esse quod perfectæ eloquentiæ imago eos deterreat qui se dicendi studio dediderint : « Ne opifices quidem, inquit, se ab artibus suis removerunt qui aut Ialysi non potuerunt aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari ². » Si denique non jam ad philosophiam aut litteras animum convertit, sed ad publica negotia, si Pompeium, quem unice amat, unice colit, ab inimicis circumventum videt, quid tandem comminiscitur ut significet qua sit indignatione, quo luctu incensus : « Ut Apelles si Venerem, aut si Protogenes Ialysum illum suum cæno oblitum videret, magnum, credo,

¹ Cic. De Nat. deor., I, 27.

² *Id.* Orator, II, 5.

acciperet dolorem; sic ego hunc omnibus a me pictum et politum artis coloribus subito deformatum non sine magno dolore vidi ¹. »

Neque tantum ad hanc Venerem sæpe respicit Cicero, sed et ad illam alteram quam inchoaverat idem Apelles, superaturus etiam priorem; sed, ut adjicit Plinius, invidit mors peracta parte. Quæ vero tandem pars inchoata in opere erat, quæ perfecta? De hoc nihil Plinius: rem comperit Cicero. Scilicet deæ caput et summa pectoris pinxerat artifex, reliquam partem corporis reliquerat imperfectam; neque duas illas priores partes penicillo adumbraverat tantum, sed arte perfecerat « politissima » ², unde fit ut nemo inventus sit qui succederet operi ad præscripta lineamenta, et cætera absolveret: « Oris enim pulchritudo, ut exquisite dixit Cicero, reliqui corporis imitandi spem auferebat ³. »

Ex his intelligi potest quam gnarus sit earum rerum Cicero quem minima hæc, quæ quemvis alium fugerent, comperisse videmus. Hoc quoque manifestum est eum duo illa opera, Venerem et Ialysum, una eademque admiratione amplecti et omnium esse excellentissima judicare in picturis; inter statuas vero Doryphorum Polycleti et Jovem Olympium Phidiæ ea simulacra esse quibus nihil omnino sit pulchrius. Sed illa quidem opera quorum fama per omnes gentes percrebuerat, Ciceronem et nosse et memorare nihil mirum est. Illud est eruditioris viri quod etiam id novit, tria ferri in orbe terrarum signa Jovis Imperatoris

¹ Cic. Ep., ad Att., II, 21.

² *Id. ibid.*, ad famil., I, 9.

³ *Id.* De Off., III, 2.

uno in genere pulcherrima facta: unum quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flaminius; alterum in Pontio ore et angustiis; tertium vero Syracusis¹. Suspiciari licet et hæc et cætera hujusmodi in cognitione doctorum versata esse ex quo Pasiteles quinque volumina scripserat nobilium in toto orbe operum²; quod quidem Cicero scientia sua et ipse comprehenderat.

Verris causam Ciceroni occasionem fuisse verisimile est plura etiam de iis quæ ad artem artificesque pertinent addiscendi, ex eaque illud ei contigisse ut callidior etiam istarum rerum iudex evaderet. Quam multa enim, quum de prætoris rapinis quæreret, artificiose facta indagavit et contemplatus est! quam multa, congressus cum viris artium studiosis, de hujusmodi rebus disseruit, de picturis, de signis marmoreis, æneis, eburneis, de vasis corinthiacis aut deliacis, de trullis, de poculis, de scyphis eximia arte perfectis! Neque quid sentiant modo alii profert; ipse ultro decernit, ipse iudicat: « Is (Hercules egregie factus ex ære) dicebatur esse Myronis, ut opinor: et certe³. » In quo quidem mihi videtur a Quintiliano, ut postea dicemus, aliquantum discrepare qui aliorum potius iudicium quam suum ipsius indicat. Denique ita quid in unaquaque re perfectum sit inquirat, ita perspicit, ita laudat, ut appareat eum ista rectissime intelligere. Sit documento illa Segestanæ Dianæ statua quam tam eleganter describit: « Fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, quum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum..... Erat admodum amplum et

¹ Cic. De signis, LVIII.

² Plin., lib. XXXVI, 5.

³ Cic. De signis, III.

excelsum signum cum stola : verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis ; sagittæ pende-
bant ab humero : sinistra manu retinebat arcum : dextra
ardentem facem præferebat ¹. » Brevis quidem est des-
criptio, neque enim vacat oratori ad propositum finem
properanti circa ea morari, sed quam concinna, quam
elegans ! Eo quidem modo in illa adversus Verrem oratione
multa signa adumbrata sunt paucis, sed iisdem exquisitis
lineamentis. In cæteris etiam Ciceronis scriptis quædam
ejusmodi occurrunt commodissime et dicta et animadversa.
Quid enim eruditius aut acutius potest notari quam illud
de Alcamenis Vulcano « in quo stante in utroque vestigio
atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis ². »
Ex quo tam egregie perspicitur artificis solertia qui apte
in suo opere ea conciliaverat et quæ ars pulchritudinis
studiosa postulabat, et quæ de claudio deo tradebantur.

Non minus notatione dignum est id quod dixit Tullius
de Hortensio eloquentiæ curriculum cum summa laude
ingrediente : « Hortensii admodum adolescentis ingenium,
ut Phidiæ signum, simul adspectum et probatum est ³. »
Quæ vox ejus est viri qui intelligat quæ sit absolutæ pul-
chritudinis auctoritas, et quam imperiosa ipso suo cons-
pectu præripiat omnium admirationem. Quid rursus
callidius quam quod de eodem Hortensio profert deflores-
cente jam, ex quo studium suum industriamque remisit.
« Primus et secundus annus et tertius tantum quasi de
picturæ veteris colore detraxerat, quantum non quivis

¹ Cic. De signis, XXXIV, 79.

² *Id.* De Nat. deor., I, 30.

³ *Id.* Brutus, LXIV.

unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens posset cognoscere ¹. » Egregie prorsus dictum! et quidem ab eo qui non modo in eloquentia æstimanda præstantissimus auctor, sed qui ne in picturæ quidem studiis « quivis unus ex populo », sed potius in ea ipsa arte doctus quoque ille existimator esset atque intelligens.

At, dixerit quispiam, requirantur sane in Hortensio seniore dicendi illæ virtutes Asianæ dictionis propriæ quibus ingenium ejus olim floruerat; sed quis in veteri tabula, si modo sit peritus existimator, primum illum recentium colorum nitorem desideraverit vetustate detractum; quo dempto major accedit operi pulchritudo et auctoritas. Ne committamus ut hunc Ciceronem esse arbitremur. Ex hoc enim præcipue cernitur quam subtilis sit earum rerum iudex quod veteres tabulas plurimi facit. Imperiti valde permulcentur colorum lenociniis; hos tantum adspiciunt, in his stupent; ideoque, si qua tabula splendidissimis picta est coloribus in ea tuenda læti acquiescunt. Doctorum autem dissimilia prorsus sunt studia; si qui colores maxime oculos fulgore perstringunt, ab iis celerrime fastidio quodam abalienantur. « Quanto, inquit Cicero, colorum pulchritudine et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque quam in veteribus? Quæ tamen etiamsi primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant; quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur ². » Nonne ea sunt quæ callidum, ut supra diximus, existimatorem arguant? Quippe non omnium sane est « illo ipso horrido obsoleto-

¹ Cic. Brutus, XCIII.

² *Id.* De Orat., III, 25.

que » delectari, sed paucorum, eorumque prorsus artis intelligentium et amantium.

Quid, quod in hac re ea sentire Ciceronem manifestum est quæ senserit ipse Apelles, præstantissimus artifex? Hujus atramenti quo absoluta opera ille illinebat, quodque nemo potuit imitari, quæ tandem vis erat, quis usus nisi « ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, veluti per lapidem specularem intuentibus e longinquo; et eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occulte daret¹ »? Quantæ id laudi Ciceroni est tribuendum quod ejus iudicium nimis floridos colores in tabulis aspernantis ipso Apellis iudicio comprobatur!

Proinde non ea solum quæ omnium in cognitione atque usu posita sunt Cicero tenet, sed etiam si qua paulo reconditiora a sensu imperitorum abhorrent. Sic illum minime fugit ea quæ inter colores ac sonos est similitudo; qui quidem, licet diversis sensibus percipiantur, aliquid tamen habent cognati. Unde fit ut pictores, in ea qua utuntur lingua, sæpe quod de aliis dici soleat id in alios transferant, multa a musicorum sermone mutuantes ut res ad artem suam pertinentes significant. Sic, ut infra dicemus, vox *ἀρμονία* quæ de sonis proprie dicebatur, a græcis traducta fuerat ad colores. Quam multa alia hujusmodi exempla afferri possent e nostra loquendi consuetudine petita! Jam Aristoteles eam vim ac naturam colorum perspexerat ut recte eos cum sonis conferri posse judicaret. Insigne est hujus rei apud illum exemplum, quo probatur eum comperisse eandem sonorum et colorum esse scientiam; quippe in *συννοήματα* iisdem notis significari si quid propinquum esset, iisdem, si

¹ Plin. lib. XXXV, 36, 34.

quid remotum. « Quum duo soni, inquit Aristoteles, auribus percipiuntur, quorum est alter attenuatus, alter autem argutus, videntur, ad eundem locum pervenientes, ille ex longinquo audiri, hic ex propinquo, quia iis similes sunt quæ tum longe, tum prope fiunt. Eadem est colorum in pictura ratio. Quum enim duæ res coloribus ita repræsentatæ sunt ut altera iis similis sit quæ sunt propinqua, altera vero iis quæ remota, prior recedere videtur, posterior autem quasi extra tabulam esse, quamvis utraque in plano pariter sit ¹. » Nihil quidem eruditius dici potest et aptius ad explanandam illam scientiam qua rerum situs, prout aut propinquæ sunt aut remotæ, ad veritatem exhibetur. Non minus autem docte Cicero quædam disserit unde intelligi potest eum pervidisse eadem esse colorum quæ vocum discrimina ². Scilicet « voces, ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant : acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quæque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera : lene, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono attenuatum, inflatum..... Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores ³. » Sic Cicero, dum quæ ad pronuntiandi rationem pertinent exsequitur, ea dicit quibus ostenditur quam gnarus sit picturæ.

Etiam quum in disserendo iis doctrinis extrinsecus quæsitis Cicero non utitur, tamen apparet atque exstat, earum

¹ Arist. De audibilibus.

² Gallice : *La gamme des couleurs*.

³ Cic. De Orat. III, 57.

non rudem eum esse, haud secus ac « qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen utrum sciant pingere an nesciant non obscurum est ¹. » Quis enim non intelligit artem eum indagavisse, et variis experimentis habere cognitam, qui hoc perviderit fore ut si satis veritas, quæ profecto plurimum valet, ipsa per sese efficeret, arte non egeremus. Verum quum ea « perturbata sæpe ita sit, ut obscuretur, ac pæne obruatur, discutienda sunt ea, quæ obscurant, et ea, quæ sunt eminentia et prompta, sumenda ². » Quæ quidem tam erudite, tam callide notata atque præcepta hujusmodi sunt ut is, qui talia edat, non in una vel altera re artem intelligere videatur, sed in omnibus, quum tam probe perspexerit in quo sita sit ipsius artis præcipua vis ac virtus.

Ne modum tamen excedamus, neque quod multa Ciceronem in his rebus recte vidisse perspicuum sit, continuo eum omnia percalluisse judicemus. Profecto non sibi tot tantisque rebus districto atque impedito picturæ cognoscendæ tantum temporis impertiendum esse arbitratus est quantum ii sibi sumpserunt qui, otio affluentes, plurima in hac arte investigare studuerunt. Aliud est enim, ut ait ipse, esse artificem cujusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem nec rudem ³. Ut artes ad informandum oratorem necessarias non perdidicit, sed attigit tantum, ex iis delibans quidquid ad orandas causas erat utile, ita nihil aliud e pictura gustavit quam quod aliquid conferre poterat

¹ Cic. De Orat., I, 16.

² *Id. ibid.*, III, 57.

³ *Id. ibid.*, I, 58.

ad consummandam suam oratoriam facultatem. « Neque enim pariter artes ab iis tractantur qui eas ad usum transferunt, pariter ab iis qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita sunt aliud acturi ¹. » Quibus perdiscendis operam impendere si velis, perdifficilis res est operis, sed facile ista discuntur, si tantum sumas quantum opus sit. Tantum autem Ciceroni opus fuit, quantum ei qui liberaliter institutus omnium ingenuarum artium gnarum se esse vult, quique eloquentiæ studio incensus omnia artis suæ et adjuncta conquisivit et ornamenta.

Rectissime nobis quidem conferri Cicero videtur, propter illam rerum multarum cognitionem ac scientiam, cum pictore Euphranore ². Neque enim præstantissimus orator, neque magnus ille artifex quidquam nescire voluerunt quod posset eam augere atque amplificare facultatem quam erant in sua arte uterque consecuti. Euphranorem admirandum faciebat quod et pingendi fingendique idem mirus artifex erat, et cæteris optimis studiis inter præcipuos ³. Similiter omnia Tullius erat complexus quibus ingenium excoli posset, ne omissis quidem illis alienis artificiiis; ita ut, quemadmodum Euphranor inter artifices litteratissimus fuisse potest videri, sic inter litteratos Cicero maxime omnium artifex.

¹ Cic. De Orat., III, 23.

² Quint. Inst. orat., XII, 10, 12. Majorem tamen Ciceronem judicat Quintilianus.

³ Aliud insigne exemplum profert Plinius doctissimi artificis, Pamphili scilicet, Apellis magistri, qui « primus in pictura omnibus litteris eruditus fuit »; ex quo intelligitur plures hujusmodi fuisse. Proinde apud veteres ea erat doctrinarum inter se societas ut multorum ingenia ex artibus ad litteras, ad artes ex litteris ultro citroque commearent. Vide Plin. lib. XXXV, 36, 14. Non omittendus est Metrodorus ille « pictor, idemque philosophus, magnæ in utraque scientia auctoritatis. » Plin. lib. XXXV, 40, 10.

II.

Quomodo Cicero, rhetoricorum operum scriptor, artificem se magis ac magis præbeat, una cum processu ætatis et ingenii.

Nunc quum perspicuum sit quam non incallidus fuerit artium existimator Cicero, jam considerare operæ pretium est quid in tradenda sua arte ab alieno artificio sit mutatus. Illud autem primum notandum est quantum, quod ad id pertinet, inter opera illa intersit quæ ei adolescenti adhuc exciderunt, et ea quæ scripsit quum ad ætatis et ingenii maturitatem pervenisset; quorum alia sunt discipuli, alia ejus qui ipse dicendi magister atque auctor factus sit. Rhetoricorum ad Herennium quatuor libros, quamvis incerti scriptoris esse quidam existimaverint, tamen ad Ciceronem referendos esse censet auctor locupletissimus¹. Duo autem libri de Inventione nihil aliud esse vulgo putantur quam Rhetorica iterum edita. Quæ duo opera si quis intuitus erit, facile perspiciet tum ab illis quæ postea consecuta sunt multum discrepare, docendi via ac ratione, tum societate quadam inter se conjungi, quippe quæ pariter præ se ferant Græcorum imitationem. Cicero nondum est sui juris et arbitrii; nuperrime e schola elapsi ingenium magistrorum disciplinæ adhuc obnoxium est, ad quorum exemplar se totum composuit. Neque quicquam adhuc ex se effert, quum ea tantum tradat quæ sibi ipsi tradita sunt;

¹ J.-V. Leclerc.

unde fit ut in illis libris nihil aliud occurrat nisi tanquam decurrentia innumera deinceps præcepta, et illa quidem nuda atque exilia, cum summa dicendi jejunitate. Quorum si unam et alteram paginam dempseris, nonnullius scribendi leporis non expertem, nihil jam habent quo animi possint delectari. Quo minus mirum est si et eam doctrinæ elegantiam in iis requiras quæ e conferendis inter se diversis artibus oriri possit. Cujus omnino incuriosus scriptor bis tantum animum suum ad artifices artemque retulit, non eo quidem consilio ut cognita perspectaque artium similitudine inter se congruentium quædam ex alieno artificio assumat ad artis suæ præcepta explananda, sed ut aliquid acute et facete dictum consecetur.

In quarti rhetoricorum ad Herennium libri initio exemplis propriis artium scriptoribus utendum esse ad confirmanda præcepta contendit, idque faciendum putat præter Græcorum consuetudinem, quum multis de causis, tum præsertim quod qui aliena sumat exempla is nihil videatur de suo potuisse proferre. Nempe hoc prorsus ridicule faciunt, quum id quod aliis pollicentur ab aliis quærent: « Non isto modo, inquit, Chares a Lysippo statuas facere didicit ut Lysippus caput ostenderet Myronis, brachia Praxitelis, pectus Polycleti; sed omnia coram magistrum facientem videbat, cæterorum opera vel sua sponte considerare poterat¹. » Hoc quidem jucundius dici quam commodius, quis non videt? Ullane in hac re comparatio recte potest institui artificis et rhetoris? Nonne prorsus inter se discrepant? Sed lepide est et eleganter dictum; hoc satis est juniori rhetori; nihil quærit, nihil cupit amplius quam ut nos

¹ Cic. ad Her., IV, 6.

admoneat quo sit ingenii acumine, quam concinna et invenire possit et dicere. Hoc delectationis aucupium facile cernitur ex illa luxuriantium imaginum varietate in quibus coacervandis sibi admodum placere videtur. Adest Triptolemus, adest ipse Prometheus ut rhetoris inopiam aliena exempla sumentis coarguant : quem similem fingit scriptor et Triptolemi ab hominibus id mutuantis semen quod iis largiatur, et Promethei qui, quum mortalibus ignem dividere velit, ipse a vicinis cum testa ambulans carbuncula corrogat. Quibus dicendi lenociniis futilius quicquam, imo ineptius reperiri potest ? Quis non intelligit omnia hæc esse indicia lascivientis juveniliter ingenii, neque ex iis ullam suspensionem existere posse eorum quæ Cicero postea tam exquisite de iisdem rebus disseruit ?

Si ex istis ad Herennium libris animam ad opus de Inventionem scriptum converterimus, aliquid quoque reperiemus ad picturam pertinens, sed idem ostentandi quoque ingenii causa comparatum. Hoc tamen interest quod nihil ornatius dici possit. Narratiuncula est scriptoris, concinna et elegans, de Zeuxide ¹ quem Crotoniatæ arcessiverant, longe cæteris pictoribus tum, ut existimabatur, excellentem, ut Junonis templum egregiis picturis locupletarent. Quum autem artifex ille exquisitum quoddam opus illis donare vellet, in quod quidquid posset ingenio conferret, et pingere Helenæ simulacrum instituisset, utpote qui muliebri in corpore pingendo plurimum cæteris præstaret, rogavit ut sibi potestas daretur eligendi e Crotoniatarum virginibus quinque formosissimas, unde imaginem exprimeret quam pingere destinabat. Nemini dubium esse potest quin festivæ

¹ Cic. De Inv., II, 1.

illius narratiunculæ illecebris junioris rhetoris mens fuerit delinita, cui quidem exornandæ et expoliendæ omne ingenii acumen adhibuit. Ut in initio prioris libri de eloquentia disseruit, quomodo et nata sit, et longius progressa, mox sensim in vitium delapsa, quantaque ex ea laus et utilitas oriatur, et illud quidem verbis ornatissimis, ita posterioris præmium ab ea narratione ducit qua commendetur scriptoris ingenium legentiumque recreati animi longorum effugiant tædium præceptorum. Et sane narrata res est venuste; sed quod tandem ob propositum? Ut videlicet scriptor doceat nos quomodo artifices a natura profecti ad concipiendam illam pulchritudinis speciem sese erigant, qua nihil perfectius possit excogitari, qualis ea quæ Phidiæ animo insidebat quum Jovis formam faceret aut Minervæ? Minime: non ad tam præclarum finem pertinet rhetoris oratio, qui hoc tantum significare voluit se, quum ad artem dicendi conscribendam accederet, non unum aliquod exemplar sibi proposuisse, sed omnibus unum in locum coactis scriptoribus, excerptis quod quisque commodissime præcipere videretur. Profecto tam frigida res tam exquisita verba non requirebat!

Hoc idem de Zeuxide non semel a veteribus celebratum refert etiam Dionysius Halicarnasseus¹, ut quamdam illius eruditæ imitationis exhiberet imaginem qua litterarum studiosi viri e variis ingeniis excellentissima quæque libant ut e rebus exquisitis undique excerptis præclarum quoddam opus efflorescat, diu mansurum.

Ex his apparet hæc duo priora opera quæ Cicero juvenis adhuc scripsit, omnino a cognitione usuque præceptorum

¹ Dion. Hal., τῶν ἀρχαίων κρίσις, cap. I.

e pictura petitorum abhorrere, et si quid forte hujusmodi semel aut bis occurrat, nihil in eo scriptori curæ esse nisi ut laudem venetur lepide dicendi. Quid autem inde colligendum est nisi illud quod supra diximus, ad rhetorum græcorum exemplum quorum adhuc discipulus est, Ciceronem totum se fingere in tradendis præceptis eloquentiæ; in commentariolis autem suis nihil eum reperire unde suspicetur qualia adjumenta dicendi præceptis atque ornamenta artes possint subministrare. Ei eloquentiæ amantissimo in eamque impendenti operam omnem atque industriam, nondum spatium fuit cæteras illas artes respiciendi, ut vestigaret quid pulchrum ferrent, quid utile. Egregia illa studia magis fovet, quam ut animum ab iis colendis et celebrandis transferat ad illa quæ etiam minora semper arbitratus est. Proinde, sive quod usitatas vias ingressus non sibi proprium quoddam iter adhuc munivit, sive quod nondum ullam alius artis disciplinam attigit, ne quid operæ et temporis eloquentiæ studiis invideret, in prioribus illis scriptis fere nihil quod ad picturam aut sculpturam pertineret Cicero exhibuit.

Longe alia ratio est eorum operum quæ postea edidit, quum et ipse dicendi auctor factus non jam aliorum auctoritate niteretur, sed sibimet tantum confideret, suoque ingenio. Non quod tamen omnis futurorum mox studiorum significatio absit ex iis quæ Cicero narrat de Zeuxide. « Præbete mihi, quæso, inquit apud eum artifex, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id quod pollicitus sum vobis, ut *mutum in simulacrum ex animali exemplo* ¹

¹ Gallice : *Le modèle vivant*. Cui exemplo græci artifices tantopere operam dederunt; unde mirari solemus quod quum exquisite multa

veritas transferatur. » Quæ vox profecto neque philosophi est neque litterati viri, nihil de arte disserentium quod technicorum scientiam redoleat, id est nihil quod aptis propriisque verbis subtiliter definiatur, sed ipsius artificis certis verbis res certas demonstrantis. Ut illi hoc præsertim inquirunt quid a se ipso petat hominis ingenium in elaborando quodam artificio, ita ipse artifex quid naturæ debeat, præstantissimæ illi magistræ, pio gratoque animo inprimis interpretatur; quam ducem amplexus nihil pulchrum in suis operibus inesse sentit, quod non ab ea libaverit. Proinde non affinxit Zeuxidi vocem illam Cicero; sed vivam eam ab antiquis traditam sustulit mandavitque litteris; quod quidem indicium est ingenii nonnihil jam de istiusmodi rebus laborantis.

Sed inchoata jam tum, ut hinc suspicari licet, earum rerum studia Cicero, adulto jam ingenio et omnem omnium rerum doctrinam cupide comprehendente, longius pro-
vexit. Qui fatente ipso Molone eloquentiæ laudem Græciæ oratoribus præripuerat, is et græcos rhetores illa oratoriæ institutionis laude spoliare est aggressus, quæ eorum semper fuerat propria. Etenim, deficientibus cæteris, Cicero eo natus esse videbatur ut non modo veterum Græcorum prudentiam ad Romanorum usum moremque transferret, sed quasi latinam quamdam conderet dicendi disciplinam. « Præcipuum lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoque ejus, dedit unicum apud nos specimen orandi docen-

multi disputaverint de eximia illa pulchritudinis specie quam sibi velut exemplar proponebant, nimio pauciora, ut nobis quidem videtur, disse-
ruere de tanto illo veritatis imitandæ studio quo incensi erant, ut ex tot documentis intelligitur.

dique oratorias artes M. Tullius ¹. » Ipse profitetur novam eam artem a pristina consuetudine abhorrere, quippe quæ, tritis ac vulgaribus omissis præceptis, se ad majora convertat. Hoc est illud « instituendi genus paulo eruditius et *θετικώτερον* ² », ut ipsius Ciceronis verba usurpemus. Non jam e rhetorum tantum libris petit doctrinam, sed et e scriptis philosophorum, quorum principi Platoni, dicendi quoque non solum intelligendi auctori ac magistro gravissimo, discipulum se addixit ³. Hujus doctrina et institulis informatus, minime circa puerilem præceptorum scientiam versatur, sed exquisitiorem illam et a vulgari more remotiorem investigat; neque singula quæque in rebus singulis persequitur, verum ea capita aperit unde omnis omni in quæstione disputatio ducitur. « Semper, quacumque de arte aut facultate quæritur, de absoluta et perfecta quæri solet..... Vis enim, et natura rei nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis, et quanta sit, intelligi non potest ⁴. » Proinde, sive de elocutione disputat, quærit quid sit quo præscriptum aliquod aut formulam exprimamus ⁵, sive de ipsa eloquentia, illud vestigat quo nihil est præstantius; quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipere possumus, cogitatione tantum et mente complectimur. Quam rationem omnem in quæstionem a certa re definitaque ad universum genus traducendi, quis non intelligit philosophorum esse propriam, eorumque more a rhetore illam esse assumptam? Jam illa

¹ Quint. Inst. orat., III, 4, 19.

² Cic. ad fam., III, 3.

³ *Id.* Orator, cap. II, 12.

⁴ *Id.* De Orat., III, 22.

⁵ *Id.* Orat. X, 36.

rerum tot tantarumque varietas et copia, nonne ex ejusdem philosophiæ fontibus et ipsa defluxit? Hoc novum, hoc inusitatum erat in libris rhetoricis.

Sed aliud quidpiam elucebat, non minus inauditum atque insolens, tot artium scilicet comprehensio, quarum scientia rhetor instructus, ex alienis artificiis plurima sumebat unde proprium suum artificium illustraret. Non enim philosophiam modo, sed omnes doctrinas quasi eloquentiæ comites esse volebat ac ministras ¹, et poesim et musicam et picturam sculpturamque, quæ communi quodam consensu conspirabant ut præcipienti auxiliarentur. Neque tantum in cæteris præclaris artibus, sed ne in levioribus quidem omittendum esse arbitratur rhetor si quid utile ex his possit ad eloquentiæ studia transferri. Nempe multa ex histriorum petit artificio: quid Roscius, quid Æsopus, sive in agendo, sive in pronuntiando sequerentur et efficerent, notat; quid dixerit aut censuerit prior libenter profert: « Sæpe soleo audire Roscium, inquit apud eum Crassus, quum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem: non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset ². » Adeo nihil nisi perfecte ab oratore fieri volebat; quæ absolutio si in leviori studio requiritur, quanto magis in oratore est desideranda. Nec multo post, quum iis quæ oratori a natura data sint modice et scienter utendum esse declarat, et « ut ne dedeceat, » cujus decretum profert nisi illius ipsius Roscii dicentis « Caput esse

¹ Cic. De Orat., I, 6. Mea quidem sententia, nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus.

² *Id. ibid.*, I, 28.

artis, decere ¹ » ? Sic et in libro de summo oratore, id præcipiens in omnibus rebus videndum esse *quatenus*, etiam scitum Apellis commemorat pictores eos peccare existimantis « qui non sentirent, quid esset satis ² ». Quod præceptum magni illius pingendi auctoris mire congruit cum eo quod in Protogene, ut refert Plinius, reprehendebat, qui « manum de tabula non sciret tollere ³ ».

Quid vero plura ? Nonne jam intelligi potest quam docte artem dicendi ille pertractet qui omnia omnium magistrorum præcepta qualibet in arte posita inquisiverit quique lucem non ex unius artis disciplina in cæteras, sed ex cæteris omnibus in unam transfundat. Itaque Cicero universis iis doctrinis quæ sunt libero dignæ instructus ad docendam suam artem accessit ; unde fit ut non pervulgata quædam præcepta, rhetorum more, decantet, sed rerum maximarum explicationem afferat illustrem atque perpolitam. Illa est rerum copia et ubertas quæ tantopere in libris de Oratore animum tenet, quæque efficit ut, ita connexis ac cohærentibus inter se omnium artium præceptis, ex tot tamque variis disciplinis quasi una eademque ratio oriatur.

Opus de Oratore compositum liber Brutus inscriptus excepit ; qui, quamvis post novem annos sit conscriptus, et suspicari liceat Ciceronis scientiam per spatium illud fuisse adauctam, pauca tamen e fingendi pingendique arte arcessita exhibet. Quod minime mirum videbitur si consideraverimus oratoribus enumerandis scriptorem præcipue

¹ Cic. De Orat., I, 29.

² *Id.* Orator XVIII, 73.

³ Plin. Hist. nat., XXXV, 36, 47.

dare operam, de quibus quærit qui sint et qualis fuerit eorum dicendi facultas. Licet quædam passim de arte dicta ei excidant, artifices ipsos intuetur potissimum, et raro, ac quasi in transitu, artes illas præstringit externas. Non eadem est ratio præclari libri in quo qualis sit perfectus orator inquirat. In hoc enim repetitur cum majore exemplorum ubertate artis commemoratio. Scilicet ad maximum doctrinæ fastigium profectum est scriptoris ingenium unde quasi uno in conspectu, explicatis artium omnium disciplinis, omnia videt quæ in quaque insunt. Platonem magis ac magis amplexus magistrum, se totum philosophiæ permisit: hinc mens excelsior, et generosiores conatus, et multo majora concipiens spiritus. Quod magnum, quod sublime est, ad id primo se impetu erigit. Itaque eorum immemor quæ de diversis eloquentiæ partibus possunt disputari, id unum studet ut qualis sit ipsa eloquentia deprehendat definiatque; ut eam ad ultimam sui generis formam speciemque redigens, cogitatione assequatur id quo nihil sit in illa præstantius. Cujus rei ad vim naturamque explicandam, quo tandem se convertit? Nempe ad illam ex artificibus ductam similitudinem, qua excellentem eloquentiæ formam mente tantum comprehensam comparat cum eximia illa pulchritudinis specie Phidiæ in animo insidente dum Jovis aut Minervæ imaginem fingebat¹. Qui locus tam splendide tractatus Ciceronem nobis repræsentat, non illum quidem e rhetorum schola vix elapsam, diligentem discipulum in exprimenda suorum magistrorum imagine, et nulla alia quam quæ didicerat præcepta proferentem, trita et vulgaria et decantata, qualis ex duobus prioribus illis

¹ Cic. Orator III.

artibus rhetoricis existerat, sed sui juris factum, et dicendi auctorem, multa multarum rerum scientia ornatum, Apellis eundem et Platonis præcepta consociantem, plurimamque e philosophia et ex ea disciplina, in qua de pulchro quæritur, ad oratoriæ institutionis usum convertentem. Illic nihil est e sculpturæ aut picturæ exemplis depromptum, nisi temere ac fortuito, et cum quadam ingenii ostentatione; hic nihil non erudite et eleganter, quia omnia omnium artium præcepta inter se congruentia penitus rhetor perspexit.

III

Quid Cicero, dum de dicendi genere disserit, a pictura et sculptura mutuatus sit.

Ex his omnibus rebus quas diximus cernitur quid ex artibus quæsierit ad illustranda suæ artis præcepta. Ad earum enim similitudinem oratoriam disciplinam sæpe dirigit. Si forte veretur ne qua sit admiratio quod tot tantarumque rerum nulla præcepta posuerit, sic statuit: in dicendi exercitatione, quum tradita sint difficillima, reliqua, quia aut faciliora aut similia sint, tradi non necesse esse: « Ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdiderit, posse eum cujusvis vel formæ, vel ætatis, etiamsi non didicerit, pingere: neque esse periculum, qui leonem, aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit..... sed qui primarum et cer-

tarum rerum genera ipsa didicerint, reliqua non incommode persequi ¹. » Tum exemplum affert et Polycleti illius qui, quum Herculem fingebat, non quærebat quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiamsi hæc nunquam separatim facere didicisset, et Phidiæ qui, postquam Minervæ signum tam admirabile efficere potuit, non sane laborabat quomodo in clypeo minora illa opera exprimeret ². Qui enim in maximis rebus arduisque artem comprehenderit, non esse timendum ne eum in minimis deficiat ingenii vis et industria.

Sed non satis est de his rebus infinite disseruisse nisi aliquod certum ac singulare exemplum attulerimus. Sit igitur nobis documento quod de dicendi genere in tertio de Oratore libro tam luculente Cicero disputat. Nusquam enim alias plura et gravius dicit et ornatus; nusquam se tot in artibus inter se conferendis jactat libentius. Quod de universo genere eloquendi proferri potest latissime patens, ab eo Tullius proficiscitur: non aliam esse dicendi, aliam intelligendi disciplinam, quumque ex duabus rebus constet oratio, ex re atque verbis, eas minime posse separari, non magis quam si ab animo corpus sejungatur, quorum sine interitu fieri neutrum possit. Hinc illud consequi unam esse eloquentiam, quascumque ad res se conferat, tam mehercule quam omnia in mundo una consensione naturæ constricta esse dixeris, omnia in artibus uno societatis vinculo contineri ³. Sed licet una sit eloquentia, non continuo unam esse ejus laudem et similem oratorum naturam; illud contra ea accidere ut consimili in genere disparia

¹ Cic. De Orat., II, 16.

² *Id. ibid.*, II, 7. Cf. Quint. Inst. orat., II, 3.

³ *Id. ibid.*, III, 5, 6.

studia sint. Hic Ciceronis exquisita elucet doctrina. Quid enim jucundius, quid ornatus quam ea quæ sequuntur? Quo illustrius fiat hoc quod dicitur, quam læta subito efflorescit exemplorum ubertas, et quam variis e rebus petitorum! Ad naturam primum se convertit scriptor, mox ad poesim et eloquentiam, tum ad picturam sculpturamque, ab aliis ad alia animum nostrum transferens, et id quidem quanta cum ejus delectatione!

« Una fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycleetus, Lysippus, qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturæ, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua decesse videatur ¹. »

Quod quidem ita de artificibus notatum traducitur ad oratores, tum græcos, tum latinos, ita ut uno conspectu eos universos complectamur.

« Adspicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quærimus, quid intersit inter oratorum studia atque naturas. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Æschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cujusquam nisi sui similis? Gravitatem Africanus, lenitatem Lælius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum: quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps ². »

Hoc comparationis genus Fronto rhetor imitatus est. Insignis locus est et ejusmodi ut multum ad nostrum pro-

¹ Cic. De Orat., III, 7.

² Id. *ibid.*

positum pertineat, propter variarum inter se artium contentionem. Tam certam facultatem cujusque esse ait rhetor ut nemini liceat niti contra naturam. Sive poetarum, sive historicorum, sive philosophorum non est quod quemquam de more suo atque proposito possis deducere. Ad artifices quoque conversus :

« Quid si quis postularet ut Phidias ludicra, aut Canachus Deum simulacra fingeret ? aut Calamis Turina, aut Polycleetus Etrusca ? Quid si Parrhasium versicolora pingere juberet, aut Apellem unicolora, aut Nealcen magnifica, aut Nician obscura, aut Dionysium illustria, aut lasciva Euphranorem ¹ ? »

Tum ad eloquentiam orationem transferens :

« Concionatur autem Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius copiose. Jam in judiciis sævit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur. »

Non est profecto quod Ciceronem cum Frontone conferas, dicendi illam elegantiam cum hoc putido scribendi genere. Omnia sunt apud alterum inornata, sed ob id ipsum condita eximio quodam lepore ; apud alterum nihil non affectatum ; apparent quæsitæ venustates et elaborata concinnitas, et in his offendimur. Remota autem omni hujusmodi contentione, hoc in utroque laudandum quod artes inter se componunt. Hæc enim tam diversa sive pingendi, sive eloquendi studia tam argute comparata, nonne eam habent vim ut et mire delectent animos, et cum jucunditate utilitatem etiam jungant, quum quidem nihil menti nostræ magis prosit, quam si, perspecta quadam rerum quæ dispares primo videbantur similitudine, dissi-

¹ M. C. Frontonis epist. ad M. Annium Verum fragmenta. Frag. II.

patas eas ac disjunctas, quasi sublata omni discrepantia, in unum subito videat coalescere. Hinc magnitudo oritur ingenii plura jam comprehendentis ac prospicientis; hinc vis ei et robur accrescit. Jam, ut aliud quidpiam obiter notemus, quam juvat in verba Frontonis inquirere, et, si quid indicii de præstantium illorum artificum pingendi consuetudine ex iis existit, id deprehendere statim ac recolligere! Sed ea omittamus, et quod proposuimus, pergamus dicere.

Referendus est enim iterum cum Tullio ad picturam animus. Jam non illud explicandum est, dissimilia esse genera, sed in illa tanta diversitate, alia aliis probari. Hoc in loco ad veteres poetas mentem primum convertit, quorum carminibus tantopere delectabatur; in quibus æstimandis quam disparia sint studia hominum ostendit :

« Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum; Pacuvio, inquit alius; omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus; multa apud alterum negligentius. Fac alium Accio; varia enim sunt judicia ¹. »

Tum ad pictas tabulas respiciens :

« In picturis, inquit, alios horrida, inculta, abdita, et opaca; contra alios nitida, læta, collustrata delectant. »

Sic omnes, prout est cujusque ingenium ac natura, varie poesi et pictura afficiuntur. Inest enim unaquaque in re vis quædam quæ hunc vel illum allicit; nec idem est omnium judicio lepos. Hæc probe et dicta sunt a Tullio et animadversa. Sed quæri potest quid sit quod in tanta judiciorum varietate judicet; num omnia in incerto ac dubio esse et

¹ Cic. Orator. X.

ad uniuscujusque privatam studium referri? Minime. Sic enim existimat, multa quidem esse probanda, nec esse quod in excellentibus rebus hoc ames, hoc spernas; nihil obstare quin, quum summa miremur, inferiora tamen probemus¹. Ea est in homine liberalis, ut ita dicam, iudicii elegantia. Sed idem hoc tenendum esse, hoc confirmandum decernit, aliquid in unaquaque re summum esse atque optimum; difficile esse illud investigare, et, ubi investigatum sit, exponere, quia sæpe lateat; sed tamen ab eo, qui ejus rei gnarus sit, posse judicari². Sic, colente Tullio quidquid apud omnes artes egregium est, in præclara illa studiorum varietate, permanet tamen iudicii constantia. Sed jam, postquam de universo genere diximus, ad singula quæque progrediamur.

Mirum est quam non discrepent res quæ in diversis artibus videntur dissimiles, quantum, exempli gratia, verborum et eligendorum et collocandorum ratio cum colorum eumque luminis et umbræ ratione sit conjuncta. Eandem esse verborum quam colorum conditionem probe Dionysius Halicarnasseus intellexit³: maximi enim illud esse momenti, non si quis exquisita quædam adhibuerit, sed si, sumptis iis quæ in medio posita sunt, omnia apte collocaverit

« Tantum series juncturaque pollet. »

Ex quo fit ut iisdem usi omnes et verbis et coloribus non eadem tamen efficiant. Hanc ipsam similitudinem secutus Cicero, quum sophistarum orationem qualis sit explicat, ita

¹ Cic. Orator, II.

² *Id. ibid.*, X.

³ Dion. Hal. Περὶ συνθέσεως ὀνομάτων.

disponere eos verba dicit ut « pictores varietatem colorum, paria paribus referentes, adversa contrariis ». Inde in scribendo et in pingendo nascitur ille « splendor¹ », arti aliquando adjectus, differentia colorum sese invicem excitante. Sed in sophisticis circa istas dicendi delicias nimis laborantibus, quoddam putidum exoritur genus multa minuta « nimiumque depicta » exhibens. Apud eximios vero dicendi artifices, scite hæc adhibentes, magnifica fit oratio.

Jam quod ad luminis umbræque rationem pertinet, multa ex ea ad artis suæ usum rhetores converterunt; quæ quidem res nobis est edisserenda. Hoc erat pictoribus antiquis usitatum ut in tabulis « quæ vellent eminentia videri, candicanti facerent colore, quæ conderent, nigro² ». Id a Plinio breviter dictum pluribus explicare operæ pretium est, ut appareat quam gnari fuerint rhetores alieni artificii, et quam erudite ea proferant quæ ab eo mutuantur. Pauca enim exstant quæ velut elapsa credideris e scripto de umbræ ac luminis ratione libro, cum quibus collata ea quæ Cicero hujusmodi dixit, et post hunc Quintilianus ac Longinus, mire congruunt. Liceat nobis illa hoc in loco proferre, sicut verbis concepta sunt, technicorum more :

« Si juxta in plano album et nigrum colorem constitueris, atque ex intervallo adspexeris, videbitur tibi albus esse in propinquo, niger autem procul remotus. Quod quum pictores perspexerint, ubi aliquid cavum simulare volunt, ut fontem, aut lacunam, aut fossam, aut antrum et aliquid hujusmodi, nigrum colorem inducunt aut cæruleum... Rursus omnia quæ eminentia volunt videri, ut virginis

¹ Plin. Hist. nat., XXXV, 44.

² *Id. ibid.*, XXXV, 40.

mammæ, aut manum protensam, aut pedes equi, eam partem nigro colore circumlinunt, ut et ea quæ utrinque sunt cava videantur, et quod in medio est pictum, credatur exstare ¹. »

Quomodo hoc pingendi præceptum ad orationem eloquentiamque traduxerint rhetores libet quærere. Primus ad hoc respexit Cicero; sed leviter id attingit. Siquidem dum præcipit, ad fugiendam aurium animique satietatem, ne ornata; ne distincta ac concinna semper sit oratio: « Habeat, inquit, illa in dicendo summa laus umbram aliquam ac recessum, quo magis id quod erit illuminatum exstare atque eminere videatur ². » Acute prorsus dictum illud esse, quem fugit? Sed his verbis ne immoremur; sint sane ea ex illorum genere quæ translata dixeris. Haud dissimili modo a Quintiliano de sentienciis disserente, quæ in rudi indoctorum oratione insigniores sunt, prolatum est illud: « Sentienciæ magis eminent, quum omnia circa illas sordida et abjecta sunt: ut lumina, non inter umbras, quemadmodum Cicero dicit, sed plane in tenebris, clariora sunt ³. » Verum hæc quoque a vulgari loquendi consuetudine non multum abhorrentia videri possunt. Illud multo eruditius de iisdem sentienciis dictum quæ, si in oratione minus parca manu sparguntur, densitate sibi invicem obstant: « Non pictura, inquit, in qua nihil circumlitum est, eminet ⁴. » Quod quidem ad eam pingendi consuetudinem, de

¹ Joannes Grammaticus in Aristotel. lib. I, Meteorolog. — Cf. Olympiodorum in Aristotel. lib. I, Meteorolog. — Schol. in Arati *Διοσημεία*.

² Cic. De Orat., III, 26.

³ Quint. Inst. Orat., II, 12, 7.

⁴ *Id. ibid.*, VIII, 5. Illud ad hoc pingendi præceptum pertinere videtur: τὸ ὅμοιον ἐν τῷ ὁμοίῳ δυσδιάκριτον. J. Gramm. in Arist. lib. I, Meteorolog. Sic Philostratus: τὸ ὅμοιον ἐν τῷ ὁμοίῳ οὐ φαίνεται. Ep. 36.

qua supra, directe refertur. Sed hic eruditissimus omnium Longinus qui ipsum artis præceptum repetere videtur. Nam quum id admonet nullam esse aptiorem dicendi figuram quam quæ lateat, quia non ab ea quasi ex insidiis adhibita præcaveat auditor, argute prorsus præcipit eam in oratione nimis nitentem umbra aliqua condendam esse atque premendam; quod quidem sic instituit explicare, ducta ex alieno artificio similitudine: « Si quis ex adverso, inquit, lumen et umbram in plano constituerit, lumen prorsus exstare videbitur, et multo propius ad oculos accedere ¹, » cujus quidem ea vis est ut proxima quæque obscuret. Hoc e luminis umbræque ratione petatum a Quintiliano ad eloquentiam transfertur. Sic enim statuit, oratori iisdem artibus utendum esse quibus utantur artifices; obscurandam igitur illam figuram splendidi cujusdam luminis vicinitate; quod lumen nihil est aliud quam illa dicendi sublimitas de qua disserit. Sic, ut uno exemplo illud explanetur, quum Demosthenes, magno quodam instinctu spiritu, eorum manes obtestatur qui in acie pro patria occubuerunt, ea vis est incitæ orationis, ea granditas, ut omnia circa quasi ingenti offusa luce obruantur, unde fit ut ars, si qua est, minime appareat. Callide hoc profecto et argute est excogitatum. Quod si cui rhetorice nimis esse inventum videbitur, tamen ex eo cerni non negabit quam

¹ Longinus, Περὶ ὕψους, XV. Cf. cap. XIII. Ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπιπέδου παραλλήλων ἐν χροῖμασιν τῆς σκιάς τε καὶ τοῦ φωτός, ὅμως προυπαντᾶ τε τὸ φῶς ταῖς ὄψεσι καὶ οὐ μόνον ἔξοχον, ἀλλὰ καὶ ἐγγυτέρω παραπῶλὸν φαίνεται. Οὐκοῦν καὶ τῶν λόγων τὰ πάθη καὶ τὰ ὕψη ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐγγυτέρω κείμενα διὰ τε φυσικὴν τινα συγγένειαν καὶ διὰ λαμπρότητα, ἀεὶ τῶν σχημάτων προεμφανίζεται, καὶ τὴν τέχνην αὐτῶν ἀποσιιάζει, καὶ οἷον ἐν καταλύσει τηρεῖ. Cf. Joannem Grammaticum: εἰ ἐν τῷ αὐτῷ ἐπιπέδῳ λευκὸν θείης ἢ μέλαν..... ἐγγύτερον εἶναι δόξει τὸ λευκόν.

curiosa fuerit rhetorum indagatio circa ea quæ e reconditiore artis disciplina ad eloquentiæ præcepta poterant traduci.

Magni profecto esset operis, omnia in Tullii rhetoricis operibus recognoscere quæ ad artem pertinent. Satis sit ostendisse quid consilii in hoc secutus sit. Proinde jam ab eo digrediamur, si tamen prius pauca dixerimus de quadam libri de oratore inscripti parte, quæ mihi breviter complecti videtur inusitatum illud eloquentiæ illustrandæ genus ¹. Quo loco aliquid exquisitius haud facile invenias. Prædicat Tullius illam dicendi laudem quæ in moderatione ac modo posita est. Ut enim in cæteris rebus, ita in eloquendo plurimum hoc valet *ne quid nimis*. Quod quale sit ut explicet omnia elegantioris doctrinæ adhibet adjumenta. Eam enim esse hominis naturam probat, quæ nihil nisi modicum ferat, nec nimia neque continua voluptate libenter patiatur se impelli. Hoc primum fieri in sensibus quorum vim ac naturam cum exquisita quadam dicendi subtilitate explicat; hoc in poesi, hoc in eloquentia, hoc in histrionum arte, hoc in musica, hoc denique in pictura; in qua, si paulo nitidior ea sit, cito offenditur. Sed illud præcipue notemus quam apte eruditeque ea dicantur. Jam ea est dicendi elegantia, is lepos, ut quidquid de hoc loco ipse dixeris, ex ejus comparatione inconditum prorsus ac rude videatur. Proinde totus ipse legendus est; ex quo perspicue cernitur quam admirabili rerum copia instructus ac varietate ab omnibus artibus mutuetur Cicero quidquid eloquentiæ præceptis possit conducere.

¹ Cic. De Orat., III, 25.

CAPUT V

DE DIONYSIO HALICARNASSEO

Quam impar sit Ciceroni Dionysius artium existimator.

Novum instituendi oratoris genus induxerat Tullius non modo multa petens e philosophia, sed etiam omnes artes, fingendi pingendique præcipue artem, cum eloquentia conferens. Sic orto ab eo initio, ducem ac magistrum, ut in cæteris, ita et in hac re secuti sunt ii qui deinceps viguerunt rhetores, Dionysius Halicarnasseus, Demetrius et Quintilianus, postea Longinus. De quibus nobis jam dicendum est.

A Tullio ad Dionysium cogitationem nostram traducentes, quasi de celso quodam loco dejecti unde longe ac late artium omnium prospectus erat, ad humilia quædam et ad locorum angustias, exiguis jam circumscripti spatii, tanquam detrudimur. Ille enim et artium intelligens erat, et earum studio incensus, et magna in illis scientiæ varietate præditus; hic autem litteratus est vir qui artes illas quasi per transennam adspexit, pauca ex iis et eadem leviter cognita habens. Apud eum nihil certi ac definiti, nihil excelsi; omnia minuta demissaque. Etenim ut Ciceroni rerum cura est quas nunquam a verbis sejungit, ita circa

verba potissimum laborat Dionysius, de iis componendis, de syllabis propemodum dinumerandis et dimetiendis semper anxius. Quid est autem ab eo expectandum qui id proferre ausus sit Platonem, etsi philosophum, plura tamen in verbis quam in rebus ponere ¹. Quamvis multa de Demosthene ejusque dicendi facultate non incommode dixerit, tamen non tam id quod magnum inest illi ac spiritu plenum admiratur, quam parva quædam, non illa quidem contemnenda, sed quasi in tanta illius ingenii luce latentia. In ejus verbis examinandis perpendendisque totus versatur, quomodo collocentur ac coagmententur subtiliter anquirens. At enim, dicat aliquis, non verisimile est tantum ingenium in tam minuta tamque exilia esse prolapsum. Respondet Dionysius necesse fuisse Demosthenes nullum temere verbum collocaret, quippe qui ea scriberet quæ ad posteros tradita æterno ævo mandarentur, semper et perlegenda et examinanda. Hujus ætatis scriptores non pictores erant, inquit, sed sculptores ac cælatores. Tum illud adjicit « pingendi fingendique artifices in peritura materia manum solertem exhibentes enixe elaborare ut venas, ut pilos, ut lanuginem cæteraque hujusmodi simulent, in iisque exprimendis totam artem consumant, nedum orator ingenio atque industria supra cæteros ejusdem ætatis excellens, vel minima in oratione conformanda, si qua tamen minima putanda sunt, negligat ². » Non sane negligit : is est enim vere artifex qui vel ad minima attendat ; sed cavendum est ne in æstimando aliquo opere id quod est levioris momenti maxima quæque premat atque obruat ³.

¹ Dion. Halic. *περί Δημοσθένους*, cap. XXV.

² *Id. ibid.*, LI.

³ Vide Quintilianum, *Inst. Orat.*, IX, 4, 113.

Quanto præclarius Demosthenes qui reprehendente in ipsius orationibus verba quædam Æschine, negat « in eo positas esse fortunas Græciæ, hoc an illud dixerit verbum, huc an illuc manum porrexerit. » Sed quorsum tandem pertinet ista singula persequendi subtilitas, ommissa rei universæ investigatione ac contemplatione :

Æmilium circa ludum faber unus et unguis
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis summa quia ponere totum
Nesciet...

Præclare prorsus dictum ! Ea est enim vera iudicandi ratio, ea lex ! Non quod artifices veteres argutias istiusmodi sprevisent ; si quidem in exprimendis diligenter capillis posita erat summa laus, quam a Myrone neglectam et Pythagoras Rheginus et Lysippus erant consecuti ; sed quanto majora is artifex moliebatur qui illam Doryphori statuam effingebat tam apta membrorum compositione perfectam ut inde lineamenta artis cæteri velut a lege quadam peterent ! In minimis maxime occupatus Dionysius non satis curare videtur quidquid est in opere excellens. Aliter ille, aliter sentit Cicero qui quid valeant minora illa opera, hydra videlicet et pellis in Hercule Lysippi, et clypeus in Minerva Phidiæ, æstimat ut eum decet qui vere est artifex.

II

Quid Dionysius judicet de Isocrate cum Phidia comparato.
— Quomodo cum vetere et recentiore pictura veterem et recentiorem eloquentiam conferat.

Quod ad artifices cum oratoribus collatos pertinet, non recta semper judicat Dionysius. Quid enim? Quis æquo animo tulerit non dicam cum Calamide et Callimacho Lysiam, sed cum Polycleto et Phidia Isocratem comparari?

« Haud illi mihi quidem videntur absurdi qui Isocratis artificium cum Polycleti et Phidiæ arte conferunt, quod ad dignitatem attinet et majestatem et magnificentiam, Lysiae vero cum Calamidis et Callimachi artificio, gracilitatis gratia et venustatis. Quemadmodum ex artificibus istis hi parvis in rebus et in humana specie effingenda erant peritiores, illi vero in magnis et in simulanda Deorum natura; sic ex rhetoribus hic parva, ille sublimia solertius assequitur. Grandis enim est Isocrates, sive natura, sive quodam ejus proposito; qui quod sublime sit, quod habeat admirationem consecetur ¹. »

Illud quidem primum est in quo admiremur quod Polycletum ac Phidiam in simulanda deorum effigie pari facultate fuisse præditos putet Dionysius. Si Quintiliano credimus, qui hac in re locupletissimus est auctor, non exple-

¹ Dion. Hal. Isocrates, cap. III. Δοκεῖ δὴ μοι μὴ ἀπὸ σκοποῦ τις ἂν εἰκάσαι τὴν μὲν Ἰσοκράτους ῥητορικὴν τῇ Πολυκλείτου τε καὶ Φειδίου τέχνῃ, κατὰ τὸ σεμνὸν καὶ μεγαλύτεχρον καὶ ἀξιωματικόν.

visse deorum auctoritatem videtur Polycletus. Hominem potissimum representavit, et illum quidem adolescentem; quippe « ætatem graviolem dicebatur refugisse, nihil ausus ultra leves genas ¹. » Nihil autem scripsit Plinius quod hoc Quintiliani testimonium coarguat. Phidias vero majora aggressus, et « diis quam hominibus faciendis melior artifex » artis majestate vel ipsum Jovem æquavit.

Sed jam ad id veniamus quod propositi est operis. Sit sane, si ita Dionysio videbitur, Lysias cum Calamide et Callimacho comparandus. Quanquam etiam de hoc posset ambigi. Quid enim? Calamidis signa molliora quidem quam Canachi, sed dura tamen Cicero judicat; minus rigida quam Callonis et Hegesiae Quintilianus, quorum quidem opera Tuscanicis duritate proxima fuisse affirmat. Quid est igitur cur Dionysius qui verbis Lysiam tantopere extollit ², qui eum venustate omnium excellentissimum esse prædicat, et illa quidem tam exquisita ut qualis sit dici nullo modo possit, quid est cur, inquam, hunc scriptorem cum illo quem diximus æquiparari posse arbitretur? Callimachi autem qui adeo calumniator sui erat ut catatexitechnus vocaretur, et opera efficeret emendata sane, sed in quibus « gratiam omnem diligentia abstulisset ³ », quæ potest esse contentio cum illo gratiæ studiosissimo scriptore, si quidem operositas in illo summa, in hoc autem ne minimum quidem artis vestigium apparebat? Sed tamen, ut supra diximus, concedamus Dionysio quiddam inter eos esse commune, cum alter Sosandram fecerit, in altero autem laudentur elegantia ac subtilitas artis, licet nimia

¹ Quint. Inst. orat., XII, 10, 8.

² De Lysia vide Cic. Brutus, cap. XVI. — Orator, IX.

³ Plin. Hist. nat. lib. XXXIV, 92. Cf. Vitruv. IV, 1, 40.

illa diligentia corruptæ. Sed qui fieri potest ut cum Phidia Isocrates conferatur, hic ad ostentationem comparatus rhetor cum illo sublimi fingendi artifice? Fuerit, ut et Dionysio videtur et cæteris, Isocrates summa artis suæ scientia præcellens; fuerit etiam in eo laudandus quod in orationibus præclara disserens erigeret animos magnarumque rerum studio incenderet¹. Hæc, si placet, in Isocrate paria sint et in Phidia, qui et ipse consummata erat scientiæ et majestate operum mentes ad excelsa provehebat. Sed ut id demus Dionysio, num reliqua etiam concesserimus? Nonne ipse quoque ea vitia apud Isocratem reprehendit quæ ab arte Phidiæ longissime abhorrent, tot dicendi lenocinia, tot delicias²: res verbis servientes, verba autem quasi dinumerata ac dimensa, aut paria paribus relata et adversa contrariis, dicta putide et pueriliter permulta, omnia ad aurium voluptatem aut potius satiætem comparata magis quam ad spem victoriæ; denique eam in expoliendis rebus singulis subtilitatem ut universis desit omnino decor ac venustas! « Dixeris eum pictori esse similem cunctis in tabulis easdem vestes, figuram eandem induenti omnibus », adeo eadem semper consecatur orationis ornamenta! Hoc a Philonico dialectico dictum profert ipse Dionysius. Atqui jam id quærimus: possuntne tandem istæ Isocratis deliciæ cum Phidiæ magnificentia conferri? Potest cum illius pompa, grandis hujus simplicitas? Quis hoc ausit contendere? Dicat sane alias Dionysius: « Apud Isocratem mirum quiddam ac sublime inest ver-

¹ Dion. Hal. Isocrates. IV.

² *Id. ibid.*, XII et XIII ὁ τῶν περιόδων ῥυθμὸς, ἐκ παντὸς διώκων τὸ γλαφυρὸν καὶ τῶν σχημάτων τὸ μαιρακιδῆδες περὶ τὰς ἀντιθέσεις καὶ περισώσεις καὶ παρομοιώσεις κατατριβόμενον. Cf. Hermogenem lib. I, cap. XII.

borum collocandorum rationi, naturam potius heroum quam hominum referenti. » Nihil profecerit; ne Cicero quidem, licet non semel laudet Isocratem, æquo animo tulisset comparari rhetorem sua pigmenta concinnantem cum præclarissimo illo artifice Jovis formam aut Minervæ effingente, de quo tam magnifice in initio libri de Oratore summo locutus est.

In istiusmodi comparationibus videndum est ut vera quædam ingeniorum quæ inter se conferuntur sit cognatio. Nihil enim valet si quid in parvis rebus simile est. Proinde ne Plutarcho quidem danda venia est Nicomachum Homero comparanti¹, quia utrique promptum esset ingenium. Etenim fuerit sane Nicomachus clarissimus pictor, ut Plinio placet: fuerit etiam inter perfectos numerandus, ut fert Ciceronis opinio; non est certe quod cum Homero conferratur. Quæ enim similitudo reperiri potest artificis qui pingendi mira quadam velocitate opera maxima paucissimis diebus absolvebat², cum sublimi vate divinitus afflato, e cujus ingenio, immensi fluminis instar, poesis exundabat.

Ut inepte prorsus inter se a Dionysio comparata esse hæc tam diversa, de quibus diximus, ingenia nemo inficiabitur, ita fatendum est commodissime ab eo collatum fuisse Lysiam cum pictura veteri, Isæum vero cum recentiore. Ut Dionysio videtur, hoc inter Lysiam et Isæum interest quod in altero natura, in altero autem ars plus valet. Simplex illi est et incompta oratio, nihil elaborati præ se ferens; huic autem in loquendo plurimum solertiæ; multa callide, multa etiam

¹ Plutarch. In vita Timoleontis.

² Plin. lib. XXXV, 36, 44.

versute in eo dicta occurrunt; denique prior venustate, vi posterior excellit. Quo magis intelligatur quomodo inter se discrepent, hanc erudite prorsus petit e pingendi arte similitudinem :

« Veteres picturæ simplice colore sunt factæ, neque magna pigmentorum copia artificiose variatæ; sed lineas exhibent subtiliter examinatas; iisque inest multum venustatis. Recentiores autem, lineis quidem minus scite exactis, magis elaboratæ sunt, umbra et lumine varie distinctæ, et mixtorum colorum multitudine vim obtinentes. Quarum aliis similis est Lysias propter subtilem elegantiam, aliis autem, magis operosis illis atque elaboratis, Isæus ¹. »

Hæc cognitione profecto dignissima recte contuleris cum iis quæ, pauciora quidem, sed in eandem sententiam, et notatis artificum nominibus, dixit Tullius :

« In pictura Zeuxim et Polygnotum et Timanthem et eorum qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus formas et lineamenta laudamus : at in Aetione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta sunt omnia. Nihil est enim simul et inventum et perfectum ². »

Ut superiora illa ad Lysiam a Dionysio, sic hæc a Cicrone ad Catonem revocantur; quem quia nonnulli repre-

¹ Dion. Hal. Isæus IV. Εἰσὶ τινες ἀρχαῖαι γραφαί, χρώμασιν εἰρησμέναι ἀπλῶς, καὶ οὐδεμίαν ἐν τοῖς μίμησιν ἔχουσαι ποικιλίαν, ἀκριβεῖς δὲ ταῖς γραμμαῖς καὶ πολὺ τὸ χάριεν ἐν ταύταις ἔχουσαι· αἱ δὲ μετ' ἐκείνας, εὐγραμμοὶ μὲν ἦπτον, ἐξειρησμένοι δὲ μᾶλλον, σκιὰ τε καὶ φωτὶ ποικιλλόμεναι καὶ ἐν τῷ πλήθει τῶν μιμητῶν τὴν ἰσχὺν ἔχουσαι· τούτων μὲν δὴ ταῖς ἀρχαιοτέραις ἔοικεν ὁ Λυσίας, κατὰ τὴν ἀπλότητα καὶ τὴν χάριν; ταῖς δὲ ἐκπεποιημέναις τε καὶ τεχνικωτέραις, ὁ Ἰσαῖος.

² Cic. Brutus, XVIII.

hendunt tanquam rudem atque inornatum scriptorem, acerrime ipse defendit, quod « nihil illius lineamenti nisi eorum pigmentorum quæ inventa nondum erant flos et color defuerit. »

Ita et pingendi et dicendi quasi duæ sunt disciplinae, quarum altera, antiquior, linearum subtilitate, altera recentior colorum varietate et concinnitate præcipue commendatur. Illa artis est incipientis, hæc, adultæ jam et ad maturitatem perductæ. Quæ hoc in loco Cicero ac Dionysius de arte tradunt ea Plinii testimonio confirmantur. Etenim postquam prima artis rudimenta quæ et qualia fuerint ille commemoravit, et quomodo pictura primo linearis fuerit, mox coloribus usa sit singulis, ea attingit quæ ad eam consummandam deinceps sunt reperta: « Tandem, inquit, se ars ipsa distinxit et invenit lumen atque umbras ¹, differentia colorum alterna vice sese excitante ². Postea deinde adjectus est splendor, alius hic quam lumen ³. » Adde quod colorum ⁴ qui pauci in initio fuerunt paulatim crevit numerus ac varietas; sic sile pingere instituerunt primi Polygnotus et Micon, sic cerussa usta Nicias, sic atramento elephantino, quod ipse commentus est, Apelles. Vel ipso Plinii tempore quotidie inveniuntur colores novitii; quin etiam nonnulli India ex ipsa petuntur ⁵. Quæ omnia inventa, quid aliud sunt quam artis progressus a pristina simplicitate ad majorem opum

¹ Gallice: *le clair-obscur*.

² *Id.*: *l'effet*.

³ *Id.*: *l'éclat, l'intensité de la coloration*.

⁴ Plin. lib. XXXV, 11. De splendore. Cf. XXXV, 13, *sinopide usi sunt veteres ad splendorem*.

⁵ Plin. lib. XXXV, 32.

copiam atque ubertatem sensim pervenientis. Primum enim umbra et lux ad id unum adhibentur ut earum ope emineant atque exsistent in tabulis figuræ; mox aliquid majus iis perficitur, scilicet ut utriusque vis augeatur alterius oppositæ vicinia; tum non jam uno lumine contenti artifices splendorem illum sectantur qui mirum in modum teneat oculos. Eadem est eloquentiæ ratio: a Lysia ad Demosthenem a Catone ad Tullium per eosdem quasi gradus magis ac magis perfectæ artis deducimur. Verbis primo scriptores ad id unum utuntur ut res quasi lumine illustrent; tum ea scite inter se componunt, ita ut contraria contrariis opposita sese invicem commendent; denique ab iis micantia illa verborum sententiarumque lumina adhibentur quibus splendeat oratio.

Collatis ita inter se pictura et eloquentia, quis dubitat quin illa contentio sit ad utramque cognoscendam accommodatissima, quum sibi mutuam lucem præferant. Quidquid de Lysia disserit Dionysius, acute quidem et subtiliter ¹, si quis diligentius attenderit, is veterem illam pingendi artem, ut mihi quidem videtur, magis compertam habebit. Gratia illa, quæ in eo maxima erat « simplicis atque in affectati coloris ² », nonne nos admonet de Polygnoto deque ejus simplice colore qui Quintiliani ætate tam sui studiosos adhuc habebat? Quid, quod Lysias quidquid præstat id paucis admodum utens perficit. Id enim assequitur ut res et nobiles et magnificæ et excelsæ videantur, verba ea adhibens quæ minime a vulgari consuetudine abhorrent ³. Illa quibus distinguitur ac variatur oratio

¹ Dion. Lysias. Vide imprimis, X-XII.

² Quint. Inst. orat., IX, 4.

³ Dion. Lysias, III.

prorsus negligit; nihil in eo aliunde arcessitum; quidquid profert, id propriis dicit usitatisque verbis. Sed rursus quam exquisitus dicendi lepos! quam pura et perspicua et venusta omnia! Quid autem? ad artificum priscorum similitudinem nonne ea possunt revocari? Illi enim non exquisita requirebant pigmenta, non ea quæ postea tanto pretio ac labore sunt comparata; sed paucis utentes, præclara illa opera fecere. Quatuor autem coloribus quibus usi tam magna assequebantur respondent ea verba e communi omnium sermone a Lysia petita quæ ille adhibens egregiam tamen laudem sibi peperit. Adjectus vero arti ille splendor sequentis ætatis scriptoribus contigit. Illam enim Lysiæ eloquentiam Isæi primum, mox Demosthenis eloquentia exceperit. Nihil jam inveniri potuit aut excogitari in verbis sive sententiis quod non de industria conferretur ad vim orationis augendam; jam ars erat perfecta ¹.

III

De Demetrio pauca obiter.

In comparanda artium historia, non incommodius a Demetrio sculptura cum soluta oratione collata est quam eloquentia cum pictura a Dionysio ². Duæ deinceps ora-

¹ Cf. quæ a Dionysio dicta sunt de soluta oratione apud historicos græcos, tum vetere, tum recentiore. Ex ipsius Dionysii auctoritate orationem ad picturæ similitudinem dirigentis, nonne aliquid ex his colligi potest ad picturæ veteris notitiam? De Thucydide, XXIV.

² Dem. *Περὶ ἑρμηνείας*.

tionis formæ apud Græcos exstiterunt : una, antiquior, incisim ac membratim tractatæ ; altera, aptæ ac continuatæ ; quarum priore Hecatæus Milesius et Herodotus usi sunt, posteriore autem scriptores illos postea consecuti. Quid inter utramque intersit facile perspicitur : altera in minutas partes dissoluta omnis est artis expers ; in qua non vincta cohærent, non composita verba, sed quasi dissipata diffluunt ; in altera autem omnia constant summo elaborata artificio. Ut a Cicerone mutuemur petitam e clypei Phidiæ imaginem, illa quasi præbet singula hujus clypei opera alia ab aliis sejuncta, hæc vero eorum apte collocatorum universam speciem. Ad eandem sculpturæ similitudinem a Demetrio scite hæc revocantur, siquidem pristinum illud dicendi genus statuæ antiquæ comparat « circumcisi aliquid et expediti habenti cui pro artificio inest exilitas gracilitasque ; novum autem hoc, Phidiæ operibus, quia magnum quiddam præ se ferat cum subtilitate conjunctum ¹. »

Ægre quidem ferendum est quod non plura hujus modi Demetrius in suo libro edidit. Sed nihil ex artibus ad tradenda orationis præcepta in opus suum traduxit. In quo nihil est quod miremur : nemo enim ad excelsa illa ac liberalia studia e medio minorum exiliumque præceptorum se erexerit apparatu. Necesse est magna quædam et exquisita de eloquentia explicentur, ut animus majora concipiens ad vicinas illas artes se conferat, unde petat aliquid quo sint omnia in præcipiendo illustriora. Demetrius autem in suo

¹ Περιεξεσµένον ἔχει τι ἡ ἐρμηνεία ἢ πρὶν καὶ εὐσταλές, ὥσπερ καὶ τὰ ἀρχαῖα ἀγάλματα ὧν τέχνη εἶδεται ἢ συστολή καὶ ἰσχυρότης. Ἡ δὲ τῶν μετὰ ταῦτα ἐρμηνεία τοῖς Φειδίου ἔργοις ἤδη ποικεῖ, ἔχουσα τι καὶ μεγλειόν καὶ ἀκριβές ἅμα.

libro multa quidem subtiliter de orationis præceptis disputavit, sed eadem doctrinæ paulo elegantioris expertia. Nul-
lus videlicet ad uberiora altioraque patebat aditus scriptori
circa verba dimetienda et examinanda et perpendenda labo-
ranti. Quominus mirum est si pauca apud eum reperias
ad artes pertinentia. Unum est tamen quod e libro de pictu-
ra scripto excerptum esse haud temere dixeris ¹. Nam quum
non modo verbis sed etiam rebus inesse magnificentiam
rhetor contendit, repente, ad picturam divertens, in Niciaë
pictoris mentionem incidit qui illud præcipiebat : « Pluri-
mum in eo esse momenti si argumentum a pictore probe
eligeretur; non esse artem quasi in minutas particulas conci-
dendam, neque oportere eam ad humilia delabi, nempe ad
aviculas aut flosculos; sed exhibendas esse imagines eques-
trium præliorum et pugnarum navalium, ubi multas species
sit representaturus pictor equorum currentium et arreptos
se tollentium et in genua procumbentium, hominum vero
partim jaculantium, partim ex equis delabentium; multum
enim valere, ut fabulam apud poetas, ita apud pictores ar-
gumentum. » Quæ cum ita sint nihil mirum ait esse rhetor
si et in oratione verborum magnitudo e rei magnitudine
oritur. Quam levi vinculo præceptum illud cum iis quæ
retuli conjunctum sit facile intelligitur. Sed ideo ad nostrum
propositum pertinebat id commemorare quod ex eo apparet
quam scientes essent artium rhetores etiam quum pauca
proferrent. Cui enim dubium esse potest, ut supra diximus,
illud a Demetrio ex aliquo libro de pictura aut artificibus
esse prolatum, aut ex ipso ore alicujus pictoris excerptum.
Hoc vero eo majore in pretio nobis est, quod inde intelligi-

¹ Dem. Περὶ ἐρμηνείας.

mus quam magnifice de arte sua sentirent præclari illi apud veteres pictores. Potest aliquid præclarius notari de illa quam gallice dicimus *magnam picturam*? Nescio an pluris etiam sit id, a Demetrio traditum, quam suspicamur. Nonne enim aliquid est quo possit referri? Tradunt ab Euphranore pictum fuisse equestre illud prælium apud Mantineam inter Athenienses et Lacedæmonios commissum¹; quæ tabula in Ceramico Athenis spectabatur. De qua quum multa Plutarchus², tum hoc commemorat eam pugnae imaginem pictorem descripsisse quasi divinitus afflatum³, et conspici præliantium concursum et esse in resistendo acerrimam contentionem vi plenam, plenam spiritu⁴. Euphranore porro magistro usum esse Antidotum accepimus, Antidoto Niciam. Nonne vero suspicari licet magnificæ illius tabulae quasi traditam per manus admirationem intra officinae ejusdem parietes ad Niciam pervenisse qui in iis quæ dicta ab eo refert Demetrius ad illam respexerit. Mire enim quadrat tabula ea qualis a Plutarcho paucis descripta est cum Niciæ verbis incitatissimos equorum et hominum motus requirentis. Sic rhetoris beneficio, si quid veri conjectura assecuti sumus, relucet quoddam, juvante etiam Plutareho, Euphranoris simulacrum.

Ex hac artium comparatione non delectationem modo peti sed plurimum utilitatis, quid neget? Qua quidem mire et tenetur animus et eruditur. Hac igitur elegantiore doctrina usi sunt prisci rhetores, neque unquam, si qua hujus-

¹ Plin. lib. XXXV, 39, 5.

² Plut. De Gloria Athen., cap. II.

³ Οὐκ ἀνεθουσιάστως.

⁴ Καὶ πάρεστιν ὄρῳ ἐν εἰκόνι τῆς μάχης τὸ σύγγραμμα καὶ τὴν ἀντίρρῃσιν ἀλκῆς καὶ θυμοῦ καὶ πνεύματος ἡμίουςαν.

modi recte possent inter se conferri, ea prætermiserunt. Ita Tullius Odysseam latinam Livii ait esse sic tanquam opus aliquod Dædali; Nævii autem Bello Punico quasi Myronis opere animum delectari ¹. Ita et Quintilianus Catones Gracchosque in eloquentia Polygnotos et Callones appellat ².

IV

Qualis sit, ut Dionysio et Ciceroni videtur, facultas judicandi de pictura et sculptura.

Jam ad Dionysium revertamur, qui, ut supra vidimus, de artificibus cum oratoribus inter se comparandis nonnulla quidem inficete, quædam scite protulit. Operæ pretium est nunc quærere quid, ut criticus, de omni judicandi ratione senserit, quæ tum ad artes tum ad litteras pertinet. Plura enim apud eum de hac re occurrunt quæ cum rebus in hunc modum a Cicerone dictis jure conferas. Primum omnium id omnibus pariter merito concedi oportere contendit ut de viris excellenti ingenio præditis pronuntient: « Non is prohiberi potest quin de Zeuxidis et Protogenis et aliorum inclytorum pictorum artificiis judicet, qui ingenii facultate non tantum valet; neque de Phidiæ et Polycleti et Myronis operibus qui in iisdem rebus non elaboravit ³. » Eadem est litterarum ratio; neque enim si quis non tantum

¹ Brutus, XVIII et XIX.

² Quint. Inst. orat., lib. XII, 10, 10.

³ Dion. Halic. De Thucydide, IV.

ingenio consecutus est quantum et Thucydides et cæteri, ideo a iudicio de iis faciendo excluditur. Jus autem illud iudicandi omnibus concessum, unde proficiscitur? Scilicet a sensu quodam ab omni ratione sejuncto, quique ex eo tantum existit quod sic afficimur¹. Sic censet Dionysius, non esse quod quisquam vim illam tanquam peculiarem sibi vindicet, quia omnibus sit ingenita; multis enim in rebus imperitos non minus recte iudicare quam callidum illum existimatorem, qui intelligant quæ recta aut prava sint, prout hoc aut illo modo afficiantur. Hoc autem petere omnes artes ut id commune omnium iudicium sibi concilient e quo suam ducunt originem. Sensus autem ille est huiusmodi ut et studio et exercitatione possit erudiri. Inde fit ut duplex via sit ac ratio de artificum scriptorumque operibus iudicandi: altera quæ a Dionysio τὸ ἔλλογον κριτήριον vocatur, altera quæ τὸ λογικόν². Illa multorum est, eorum scilicet qui rudes sunt artium; hæc paucorum et quidem doctorum; qua perspicimus quid in unaquaque arte sit pulchrum. Ubi in iudicando inter utrosque, doctos et imperitos, convenit, et neutri ulla in re offenduntur, tum perfectum opus existimandum est et absolutum. Qui consensus si abfuerit, quasi manca res est, et claudicans iudicium.

Sed hoc animadvertendum est: quemadmodum ex primo illo affectu, si quis eum excoluerit, paulatim fit doctrina, sic rursus, in summo artifice, ex doctrina illa, ubi consummata est, nascitur denuo quidam sensus³, sed ille quidem excellens, priori prorsus dissimilis, quippe qui nihil aliud sit quam ultimus quasi doctrinæ gradus, eique contingat

¹ Hanc *ταυτολογίαν* de industria usurpamus.

² Dion. Halic. De Thucydide, XXXIV.

³ Gallice: *Le sentiment*.

qui multa et didicerit et factitaverit et commentatus fuerit ¹, idemque sit iudicii exquisitissimi. « Non enim pingendi fingendique artifices, si multum operæ ac temporis in inspiciendis veteribus artificiis consumentes sibi multis experimentis scientiam non peperissent, id possent asseverare, nisi sic fama traditum accepissent, hanc esse Polycleti manum, hanc Phidiæ, hanc Alcameni; et ex picturis aliam a Polygnoto aliam a Parrhasio esse perfectam ². » Item se res habet et in modis ac numeris, in quibus percipiendis requiritur subtile quoddam aurium iudicium longa consuetudine eruditarum. Hoc igitur nisi multo usu non perficitur, qui usus « ita proderit, si ars antecesserit, ut ipsum illud quod in se rationem non habet, in ratione versetur ³. »

Hæc est facultas quæ a Dionysio dicitur *sensus irrationalis*, ἄλογος αἴσθησις; quæ eam vim habet ut per hanc liceat exemplar ipsum ab eo discernere quod ex exemplari est expressum. Quæ enim in exemplum assumpta sunt, iis subest natura et vera vis; nitet in iis decor quidam ac venus; in imitatione autem, nihil non fictum est, nihil non summo labore quæsitum a naturaque abhorrens. « Proinde si quis id longo usu perspexerit, non modo orator oratores dignoscet, sed etiam et pictor Apellis opera, et statuarius, Polycleti, et fictor, Phidiæ, noscitabit », eaque ab omnibus qui illos imitati sunt separabit ⁴.

¹ Dion. Halic. Lysias, XI.

² Dion. Halic. De Demosthene, L. Cf. Long. Περὶ ὕψους, cap. VI: κρίσις, πολλὰς πείρας τελευταίου ἐπιγένημα.

³ Quint. Inst. orat., X, 7.

⁴ Dion. Halic. Dinarchus, cap. VII. Cf. Quint. Inst. orat., X, 2, 11. Adde quod quidquid alteri simile est, necesse est minus sit eo, quod imitatur, ut umbra corpore, et imago facie.

Multum etiam valet hæc facultas in iudicando. Scilicet unusquisque scriptor propriam quamdam habet virtutem quæ est quasi ejus ingenii forma. Hæc dispicienda est, hæc, inter cæteras eminens, deprehendenda, unde quædam lex iudicandi petatur. Statuamus enim hinc illam virtutem cogitatione comprehensam, inde id opus de quo dubitetur cuiusnam sit : ex illa comparatione apparebit quid cui sit attribuendum. Sit exemplo Lysias cuius propria laus est venustas, in qua una maxime omnium excellit. Omnis porro oratio cuius is est decor ut nihil exquisitius sit, si qua modo suspicio est eam Lysiæ esse, neque ullus est alius modus veri investigandi, ad Lysiam esse referendam statuit Dionysius¹. Quibus de rebus disputans, quum ex artificibus multa petat exempla, ex eo intelligitur sic illum censere non aliter de artibus, aliter de eloquentia posse iudicari, et quod ad illas spectet, id ad hanc posse transferri.

A Dionysii sententia hæc in re non discrepat Cicero qui et ipse ita arbitratur : « Omnes tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione quæ sint in artibus ac rationibus recta ac prava diiudicare ; idque quum facere in picturis, et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habeant instrumenti, tum multo ostendere magis in verborum, numerorum vocumque iudicio². » Inde fit ut quidquid ab artifice aut a musico aut ab oratore percipitur vulgus statim percipiat. Non quod tamen non multo præstet doctus indocto. Summo enim labore, multaque exercitatione id perficitur ut et in sonis percipiendis aures,

¹ Illud animadvertendum est Dionysium omnia illa argumenta quæ ex historia petuntur in his rebus diiudicandis prorsus omittere ; quibus quidem tam acute critici hodie utuntur.

² Cic. De Orat., III, 50.

et in coloribus figurisque cernendis oculi fiant acriores : « Quam multa, inquit Cicero, vident pictores in umbris et eminentia quæ nos non videmus ¹ ! » Adeo omnia subtilius percipiunt « eruditi oculi » ! Quales erant Nicomachi qui ad imperitum negantem se Zeuxidis Helenam mirari : « Cape meos oculos, respondit, et hæc tibi jam dea apparebit. » Quid tamen sentiat vulgus artifices minime aspernantur, quippe quem diligentiore quam se iudicem Apelles præferret ². Ita in hac re Tullius et Dionysius et inter se et cum summo illo artifice consentiunt. Sed nemo negaverit Tullium de istis rebus multo subtilius disputare quam Dionysium utpote qui sit et ipse egregius artifex. Quam eleganter enim hæc omnia disserit ! mirabile esse, quum plurimum in faciendofintersit inter doctum ac rudem, quam non multum differat in iudicando ³; quod probetur rudi, id et docto probari ⁴; hoc uno alterum ab altero discrepare quod ille, si quid probaverit, non suspicetur quare commotus id faciat, quia scire non possit ubi sit, nec quid sit, nec quo modo factum sit; artifex vero omnia ista intelligat ⁵. Esse tamen ubi peccent imperiti; id enim in poematibus et picturis accidere ut sæpe laudent ea quæ non sint laudanda; quod fiat forsitan ob eam causam quia insit in his probi aliquid quo ignari capiantur, qui quid in unaquaque re vitii sit nequeant iudicare ⁶. Omnia hæc et multa huiusmodi acutissime et pervidisse et notare nobis

¹ Cic. Acad., II, 7.

² Plin. Hist. nat., lib. XXXV, 36, 22.

³ Cic. De Orat., III, 51.

⁴ *Id.* Brutus, LI.

⁵ *Id.* Ad Her., lib. IV, cap. 2. Cf. Quint. Inst. orat., IX, 4. *Docti rationem artis intelligunt, indocti voluptatem.*

⁶ *Id.* De Officiis, III, 3.

videtur Tullius. Hæc autem est ejus opinionis summa : quum ad picturam tum ad orationem probandam, si intelligens judicium habeant, posse adhiberi etiam inscios faciendum aliqua judicandi solertia ¹. Quod a Cicerone dictum ita probabimus ut multum quidem valere vulgi judicium et ei et Dionysio concedamus, sed non plus illi tribuendum esse putemus quam ipsa res ferat, et quasi quosdam terminos esse statuendos citra quos ne progrediatur. Idem enim Apelles temere quædam reprehendente noto illo sutore, æquo animo non tulit ². Nescio an in pictura magis quam in eloquentia existimator ille unus de multis pauciora audere debeat in judicando. Ea est enim eloquentiæ natura ut ignaros etiam statim vehementer afficiat, pictura non æque, quæ in paulo reconditiore doctrina versetur, et magis absit a vulgi intelligentia. Quocirca Zeuxis ille, quum tabulam exquisitam palam proposuisset omnibus spectandam, et quidam multa inscite laudarent, jure iratus, statim auferri tabulam jussit, quia ineptam illam imperitorum admirationem aspernabatur summus artifex ³.

¹ Cic. De optimo genere dicendi, IV.

² Plin. Hist. nat., lib. XXXV, 36, 22. *Ne supra crepidam sutor.* Quod Apellis dictum ad illam judicandi legem ab Aristotele constitutam referendum est, nempe quum in aliquo artificio aliquid peccatum sit videndum esse utrum id in arte ipsa sit factum, an in re arti aliena (Arist. De poet., XXV). Quod posterius et levius est et ad imperitorum judicium pertinens.

³ Lucian. Zeuxis, XXII.



CAPUT VI.

DE QUINTILIANO

I

Quam locuples sit auctor Quintilianus in iis quæ ad picturam sculpturamque spectant. — Quid in his rebus intelligat.

Sensim a proposito digressi jam ad id, de quo quærimus, revertamur. Ut enim nuper a Cicerone ad Dionysium, sic nunc a Dionysio ad Quintilianum pervenimus. Quos si contuleris, in eo certe quod est instituti operis, non minorem profecto reperiēs inter eos dissimilitudinem quam quæ inter Ciceronem et Dionysium intercedit. Si enim studium spectaveris quo is flagrat qui vere est artifex, Cicerone uterque minor; si scientiam rerum ad artem pertinentium, videbitur tibi Quintilianus Ciceronem quidem æmulari, Dionysium vero longe superare. Is enim quam leviter eruditus, quam pauca, eaque vix primis, ut aiunt, labris degustavit! Artes subinde attingit, potius Ciceronis imitandi studio inductus quam quod vere sit ipse in artium doctrina versatus. Verborum ac quasi syllabarum diligentissimus in primis exactor, id unum studet ut omnia in scriptoribus oratoribusque calumniatur, nedum possit conferendis inter

se artibus animum ad altiora erigere. Si quid forte hujusmodi casu accidit, id quasi obiter arripit, ut orationem exornet ; sed nihil dedita opera conquisivit, nihil ex libris petiit quo quæ de eloquentia tradit magis illustret.

Quantum ab eo distat Quintilianus qui quum in cæteris reliquis rebus est eruditissimus, tum hac quoque in scientia excellit. Non delectationis modo causa, sed ad illuminanda hujus artis præcepta quam unice diligit, multa e pictura et sculptura sumpsit, eaque, ut mihi videtur, ex ipsis hausta fontibus. Nec mirum : qui enim primo illi pueri magistro, grammatico, id injungit ut ad poetarum enarrationem tot variarum artium scientiam afferat, complexus videlicet et musicam et astronomiam et physicam¹, quanto majora par erat eum requirere a rhetore qui secundum grammaticum puerum suscipiebat, uberiore et excelsiore doctrina erudiendum. Vult eum esse oratorem ut omnium liberalium artium disciplina instructus sit, ut operam det et musicæ ad aptam vocis gestusque moderationem, et geometriæ ad acuendum ingenium, et histrionum arti ad comparandam scientiam pronuntiandi, et palestricis ad motus corporis fingendos². Si vero orator ad dicendum accedere non debet nisi iis tot artibus informatus quæ valent ad consummandam ejus facultatem, nonne consentaneum est et rhetorem qui eum instituat tanto suo munere perfungi non posse, nisi sit ipse doctrinis omnibus perpolitus quibus exquisitius docendi genus pariat ? Is autem fuit Quintilianus qui semper vestigaret ecquidnam esset nacturus quod suæ tradendæ arti prodesset. In præfatione operis proficitur

¹ Quint. Inst. orat., lib. I, 4, 1.

² *Id. ibid.*, lib. I, 10 et 11.

se in hos duodecim libros quidquid sit utile ad instituendum oratorem contulisse; nec cæteras rhetoricas artes imitatum esse quæ nudæ ac jejunæ nimia subtilitatis affectatione frangerent ac conciderent si quid esset in oratione generosius ¹. Manifestius etiam in initio tertii libri hoc suum consilium detegit admiscendi aliquid nitoris iis de quibus disserit « non jactandi, inquit, ingenii gratia, sed ut hoc ipso alliceremus magis juventutem ad cognitionem eorum quæ necessaria studiis arbitramur, si ducti jucunditate aliqua lectionis libentius discerent ea quorum ne jejuna atque arida traditio averteret animos verebamur ². » Itaque nihil unquam omittit quod ad id spectet ut perpetuæ præceptionis tædium ac satiety amoveantur. Si hoc confirmare vult præceptum nunquam in eloquentia « veram speciem ab utilitate dividi », e topiaria arte jucundam ducit similitudinem qua illud illustret ³. Si nihil de universo genere arte tradi contendit quo quasi immutabili lege orator constringatur, si id potius semper circumspiciendum esse quid in unaquaque re deceat, quid expediat, multa e sculptura et pictura quæsita profert quibus probet quam elegantis sit judicii in eloquendo quædam ex tradito rerum ordine mutare ⁴. Quo quidem in loco ea est in edendis exemplis varietas et copia, ea multiplex doctrina, ut nihil aut ornatius dici possit aut eruditius. Denique quum jam ad finem operis perventum est, ut legentium studia ultimum recreet, quo tandem se convertit nisi ad easdem illas artes cum eloquentia iterum conferendas ⁵?

¹ Quint. Inst. orat., Proœmium, 24.

² *Id. ibid.*, lib. III, 1, 3.

³ *Id. ibid.*, lib. VIII, 3.

⁴ *Id. ibid.*, lib. II, 13, 8 et seqq.

⁵ *Id. ibid.*, lib. XII, 10.

Neque jam breviter rem complectitur, sed pluribus disserit qui deinceps artifices se extulerint, quibus artis primordiis, quo progressu et quanta studiorum varietate, discrepantes tum eloquendi, tum pingendi fingendique disciplinas inter se comparans. Ita in ultimo illo libro qui supra cæteros rerum et magnitudine excellit et ubertate, ad illa summa exquisitaque sensim mens perducitur, in quibus cognoscendis contemplandisque jucunde acquiescat.

Sed, dicat quispiam, ea sane mire delectant animos; sed quo suo jure Quintilianus quæ ad picturam pertinent attingit? Optimo quidem. Ea est enim ejus reliquis in rebus tot tamque variis investigandis et perquirendis diligentia, ea fides atque auctoritas, ut credi oporteat in his quoque eum nihil nisi verum afferre. Hoc enim in Quintiliano admirabile est non tantum quod tam exquisite sapit, tam docte præcipit, sed quod tanta eruditione est instructus. Quæcumque cæteris rhetoricis artibus tradita sunt, ea quum græce, tum latine scripta perlegit; omnia omnem circa quæstionem exactissimo judicio examinavit ac perpendit; quorum autem nititur auctoritate eos nominatim persequitur omnes, a Platone atque Aristotele usque ad rhetorum vel humillimum. Denique curiosa est toto in opere rerum indagatio ac præceptorum. Hac tanta scribendi religione providendum esse existimavit « ne quid parum diligenter inquisisse de opere quod aggressus esset videretur. »

Sic se nobis approbat Quintilianus diligentissimum ac veri studiosissimum scriptorem. Fierine potest ut quam præ se ferat in rebus reliquis fidem, eam in illis quæ ad picturam sculpturamque spectant, non præstet? Quis contra non intelligit eum de iis artibus etiam nihil edere quod non pro certo compererit? Fatendum est quidem eum, qui

in proferendis auctoribus tam sedulus sit, quum de eloquentiæ præceptis agatur, nullius jam nomen scriptoris commemorare, ubi de arte mentio incidit. Hoc sane magnopere desiderandum est. Sed non ideo nobis scriptori adhibenda fides videtur infringi. Multos enim eum perlegisse manifestum est, ad eosque se referre idoneos auctores. Nihil enim temere dicit; non tam quid sentiat ipse profert quam quid ii sentiant qui in pictura sculpturaque non alieni sunt. *Dicunt, tradunt, existimant*, ea sunt verba quæ usurpat; nihil ut auctor ipse profert, nihil sua sponte affirmat. « Primi quorum quidem opera non vetustatis modo gratia visenda sunt clari pictores fuisse *dicuntur* Polygnotus atque Aglaophon¹. » « Zeuxis luminum umbrarumque invenisse rationem, Parrhasius examinasse lineas subtilius *traditur*. » Zeuxidem plus membris corporis dedisse refert « Homerum, ut *existimant*, secutum cui validissima quæque forma etiam in feminis placet ». Sic omnia deinceps: *dicitur* Polycletus ætatem graviorem refugisse; *creditur* Phidias diis quam hominibus efficiendis melior artifex. Nec est quod hæc quasi trita quædam ac vulgo usurpata dici putes. Non promiscuis ad notanda quæque verbis utitur. Si quid in Polycleto reprehenditur, tanto illo pingendi magistro, in quo præcipuus erat decor: « Ei, ne nihil detrahatur, deesse pondus *putant* » (circumspecto enim iudicio de tantis viris pronuntiandum est). Si vero de Lysippi et Praxitelis virtute propria agitur, naturam æmulantium de qua re est inter doctos consensus: « eos, inquit, ad veritatem accessisse optime *affirmant*. Quo in loco eo libentius rem integram ad cæterorum defert iudicium, quod subtilis est omnino

¹ Quint. Inst. orat., lib. XII, 10.

existimatoris statuere quatenus in artibus veritas ac natura sint imitandæ, in quibus exprimendis, ut illi superiores apte compositi erant, ita Demetrius ut nimius reprehendebatur. Ex illa tam pudenter sumpta judicandi licentia, quis non intelligit quam religiosus sit auctor in hujusmodi rebus Quintilianus; qui quidem sic statuere videtur, ut Plinius junior: de pictore, sculptore, fictore nullum alium nisi artificem judicare posse¹. Quæ verecundia fidem facit nihil nisi veri, nihil nisi ex certissimis auctoribus eum promere.

Quod vero Quintilianus quid cæteri opinentur potissimum refert, num continuo nihil eum sentire crediderimus quod ipsi quoque privatim placeat? Minime: judicat etiam ipse per se. Quid Polygnoto tribuendum sit non negat; sed fateatur accensa in eum quorundam acerrima studia habere admirationem, quippe qui eum maximis, qui postea exstiterint, auctoribus præferant « proprio quodam intelligendi, *ut mea opinio fert*, ambitu. » Hoc ita dictum probat quanta sit fides Quintiliano habenda qui non quasi jussus miretur. Vetusta enim pictura non nisi a callidissimis existimatoribus aliquo in pretio potest reponi, aut ab iis qui tales se mentiuntur; quæ aliquid habet inusitatum atque insolens quo cæteri offenduntur; ea enim, quasi quibusdam sacris, oportet initiari. Se autem non eum esse qui talia intelligat professus Quintilianus, eo ipso declarat quam sapiente sit ac circumspecto judicio. Etenim neque cæteros reprehendit qui ita sentiunt de Polygnoto, et ipse quomodo afficiatur indicat; aliquid tamen subesse suspicatur simulatæ per ostentationem admirationis. Sic Plinius miratus quid sit

¹ Plin. jun. Epp., lib. I, 10.

quod quidam tantopere Corinthio aere delectentur « simulare illos eam scientiam putat ad segregandos se a cæteris magis quam intelligere aliquid ibi subtilius ¹. »

Ex hoc de vetere Polygnoti pictura dicto colligi potest qualis sit Quintilianus existimator artis. In pictura enim idem intelligit quod quicumque et sapit et eleganti præditus est doctrina ; sed a Polygnoti intelligentia abest. Non quod tamen a vetere pictura prorsus abhorreat : quippe laudat illam quæ « in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem ². » Sed profecto certos habet vetustissima ars sui studiosos, neque omnibus contingit quæ sint laudanda in antiquo pingendi magistro dispicere et admirari.

Confidendum est igitur Quintiliano de artibus disserenti qui, tam eruditus ipse, ea tamen sapientia in iudicando, ea moderatione utitur. Cicero quidem dissimilis est hac in re, qui plura sibi sumat, omniaque dicat velut sua, non tanquam aliena. De vetustis pingendi artificibus locutus : « *Quis non intelligit*, inquit, Canachi signa rigidiora esse quam ut imitentur veritatem..... Pulchriora etiam Polycleti et jam plane perfecta, *ut mihi quidem videri solent* ³ ». « In pictura eorum qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus formas et lineamenta *laudamus*. » Nihil a Cicerone nisi oratorie dici potest ; inde verba illa paulo leviora. Quæ autem a Quintiliano proferuntur, in iis certa sunt definitaque omnia.

¹ Plin. Hist. nat., lib. XXXIV, 3, 2.

² Quint. Inst. orat., lib. VIII, 3.

³ Cic. Brutus, XVIII.

II

Quid Quintilianus in tradenda sua arte e pictura et sculptura petat. — Quam multa scite in hoc genere disputet.

Ab artibus minime alienum esse Quintilianum quum e cæteris multis, tum ex hoc perspicitur quod tam scite oratorem quem instituit et amiciat et statuat. Etenim se vere artificem præstat in iis quæ de componenda toga præcipit ¹, ita ut laticlavi « purpuræ recte descendant », ut et sinus eleganter concinnentur, et, si quis sit decentissimus, is eligatur, et hic sub humero dextro ad sinistrum oblique ducatur, ille autem ipsi humero injiciatur, modo ne eum operiat cum toto jugulo, « ne dignitas quæ est in latitudine pectoris perdatur. » In hac amictus compositione non qua sit elegantia tantum ostendit, sed qua eruditione. Didicit enim quæ fuerit varia in componenda veste temporum conditio. Scilicet veteribus nulli sinus erant, quorum usus postea percrebuit; iidem veteres ad calceos usque togam demittebant, ut Græci pallium; quod solitum facere Ciceronem traditum est; « quod quidem amictus genus in statuis eorum quoque qui post Ciceronem fuerunt apparet ². » Ex hoc quod ultimum ponitur intelligi potest non ex libris tantum omnia ea Quintilianum comperisse, quos quidem plurimos perlegit, eosdemque non ita sane vulgatos, sed a nescio quo Plotio Nigidioque de gestu quondam

¹ Quint. Inst. orat., lib. XI, 3, 137 et seqq.

² *Id. ibid.*, lib. XI, 3, 143.

scriptos ; verum et statuis inspiciendis operam impendisse. Statuæ eum docuerunt quomodo ille cultus fieret « splendidus et virilis » qui in oratore conspici debeat ; quomodo pulcherrimi illi sinus apte delaberentur, qui tantum dignitatis oranti afferunt. Sed non oratoris modo amictus, verum status etiam ejus cogitationem ad statuas traducit, siquidem animadvertit nonnunquam fieri illum oratoris habitum, « qui esse in statuis pacificator solet, qui, inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit ¹ » ; quem habitum minime probat iis maxime placentem qui se dicere sublata manu jactant.

Ut quid in componenda toga deceat ex statuis petiisse Quintilianum apparet, ita et quid vultu significetur artificum more didicisse potest videri. « Si quis enim, ait Philostratus junior, vult in pingendi arte excellere, oportet eum hominis naturam penitus perspexisse, et eum esse qui mores cognoscat etiam tacentium, discatque quid positum sit in genis et in oculis et in superciliis, uno verbo quæ ad animum spectant ². » Ea omnia a Quintiliano observata sunt diligenter adnotante quæ sit morum significatio in omnibus vultus partibus, quæ in oculis, quæ in palpebris, quæ in genis, quæ in naribus labrisque, quæ in superciliis. Quid his possit effici, id præsertim perspexit, immotis aut mobilibus, aut contractis, aut deductis, aut demissis, aut allevatis ³. Nonne in hac scientia aliquid inest quod rhetor ab artificibus sit mutuatus ? Quid, quod omnia undique artis suæ adjumenta conquirens etiam ex histrioni-

¹ Quint. Inst. orat., lib. XI, 3, 119.

² Philostratus junior. Προσίμτος.

³ Quint. Inst. orat., lib. XI, 3, 72 et seqq.

bus petit unde eam ipsam scientiam augeat, ex Æsopo Roscioque, e personis ipsis denique quas actor in comœdiis vel tragœdiis induit? Proinde, artium si non studio, cognitione certe nemo, ne Cicero quidem ipse, Quintilianum superaverit. Scripta ad artem pertinentia profecto legit multa, legit historias, et si quis omnia quæ in ipsius operibus dissipata sunt comprehenderet, multum ad notitiam priscae artis conferret.

Operæ pretium est nunc considerare quales in facienda artium partitione picturam rhetoricamque e suo cujusque proprio officio definiat. Quum enim artium aliæ in inspectione positæ sint, id est cognitione rerum (*θεωρητικαί*), aliæ in actu (*πρακτικαί*), aliæ in effectu (*ποιητικαί*), in hoc ultimo genere reponenda est pictura, quæ operis quod oculis subjicitur consummationem finem accipit; rhetorica autem in illo superiore, quæ ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit. Quanquam hoc ab omnibus de rhetorica dictum non omnino probat Quintilianus utpote cui videatur rhetorica etiam ex cæteris artibus multum assumere¹. Cujus licet ea laus sit ut quod singularum est artium, totum id una perficiat, tamen non dubitat Quintilianus picturam pæne parem facere eloquentiæ, tantum ei tribuit! Quum enim plurimum esse momenti putet in corporis signis ad permovendos animos, non mirum esse contendit si ista, quæ tamen in aliquo posita sunt motu, tantum in animis valent, « quum pictura, tacens opus, et habitus semper ejusdem, sic in intimos penetret affectus, ut ipsam dicendi vim nonnunquam superare videatur² ». Potest quidquam de pictura dici magnificentius, quum is dicat

¹ Quint. Inst. orat., lib. II, 18.

² *Id. ibid.*, lib. XI, 3, 67.

qui eloquentiam unice diligit ac miretur, eamque judicet ingenuarum omnium artium esse excellentissimam ?

Non minore in honore a Quintiliano habetur sculptura. Quum enim a nobis vult intelligi quale sit illud quod in eloquentia vere pulchrum putandum est a sculptura petit exemplum. Nihil quidem exquisitius disseri potest quam quæ et a Cicerone et, secundum eum, a Quintiliano dicuntur de illo naturali, non fucato, orationis nitore ; cujus præclaram similitudinem proferre solent, ductam scilicet ex humano corpore quod ita demum pulchrum est, si sanum, si integri sanguinis, si, ut Quintiliano videtur, « ex iisdem his speciem accipit, ex quibus vires. » Quum duo sint pulchritudinis genera, unius eorum qui, virilitate excisa, molle quiddam habent ac tenerum ; alterius autem quam præ se ferunt ii quibus robur inest, quorumque et colorata membra sunt, et adstricta et lacertis expressa, illam quidem declamatorum orationi similem esse dixeris ad voluptatem comparatæ ; hanc autem veræ eloquentiæ referre imaginem. Neque aliam esse in eloquentia pulchritudinis formam, aliam in sculptura Quintilianus existimat. Quem enim statuarum artifices pictoresque clarissimi, quum corpora quam speciosissima fingendo pingendoque efficere cuperent, in exemplum operis sumpserunt ? Bagoam videlicet aut Megabyzum aliquem ? Minime : nunquam in hunc tantum errorem inciderunt ; « sed Doryphorum illum aptum vel militiæ, vel palestræ ; aliorum quoque juvenum bellicosorum et athletarum corpora, decora vere existimaverunt¹. »

Scilicet Doryphorus ille Polycleti apta membrorum compositione tam inclutus ut ex eo lineamenta artis artifices

¹ Quint. Inst. orat., lib. V, 12.

peterent velut e quadam lege, quo exemplare Lysippum usum esse imprimis Cicero affirmat ¹, quem denique tanquam unum profert ex nobilissimis in toto orbe operibus ², hunc eundem Quintilianus elegit quem etiam oratoribus proponeret imitandum, ut ad ejus similitudinem velut ad regulam suam orationem dirigerent ! Et exquisite quidem elegit, atque, ut decebat callidum artis quoque, non modo eloquentiæ, existimatorem ; nam quidquid dicit cum Plinii testimonio congruit, pauca quidem de Doryphoro, illud tamen tradentis, factum fuisse a Polycleto « viriliter puerum ³ ». Proinde robur, sed illud quidem a decore non sejunctum, quæ præcipua Polycleti virtus erat, ea demum, ut Quintiliano videtur, et corporis et orationis est dignitas. Si Doryphorus ille periit, exstant etiamnunc in statuaria tot corpora juvenum, adolescentia nitida, mollia eadem ac fortia, quasi plena quodam vitæ succo uberiore. Quam egregiam Quintilianus nobis exhibet in his positam eloquentiæ imaginem !

Quum ab eadem pulchritudinis notione duæ illæ artes proficiscantur, quid mirum est si alia quoque plurima sunt communia. Quam multa enim de eloquentia dicuntur a Quintiliano quæ ad picturam artificesque possunt transferri ? Facultas illa per quam rerum absentium imagines ita repræsentantur ut eas cernere oculis ac præsentibus habere videamur, quæ a Græcis *φαντασία* dicitur, nonne similitudine quadam concipiendarum visionum et artifices et oratores conjungit ? Quæ, qualis sit, a Quintiliano tam scite definitur ⁴. Quid

¹ Cic. Brutus, cap. LXXXVII.

² *Id.* Orator, cap. I, 5.

³ Plin. Hist. nat., lib. XXXIV, 19, 6.

⁴ Quint. Inst. orat., lib. VI, 2.

illa ἐνέργεια quæ hanc insequitur, qua sic affecti sumus quasi rebus ipsis interessemus ¹ ? Quid δεινότητες, quæ in amplificandis rebus versatur, quo major, quam qui est, fiat affectus ? Nonne habent locum et in artibus et in eloquentia ? Jam illud præceptum id demum perfectum esse opus quod non a veritate discedat, nosque in eo errare quod « perire artem putamus, nisi appareat ; quum desinat ars esse si apparet ² » nonne commune est et pictoribus et oratoribus ? Veniat modo in mentem id quod a Plinio de Protogene traditur qui sibi in aliqua tabulæ parte non satisfacibat quia ars « minui non poterat et videbatur nimia », ob id iratus arti quod intelligeretur.

Sed jam ea omittamus quæ a Quintiliano ita sunt definita ut æque in picturam et in eloquentiam cadere posse videantur, quod suapte natura cum utraque congruant. Quam similitudinem dedita opera quæsiit, de ea nunc libet dicere. Dispositionis duplex via est, sive scriptor litteris, sive tabulæ artifex aliquid mandat. Utraque quidem est pariter « utilis rerum ac partium in locos distributio ³. » In utraque valet hoc ab Horatio præceptum ut unum, ut simplex sit quodlibet humani ingenii opus ; quæ artis summa est.

Sed illud interest quod artifex res oculis subjiciens varietatem eam quæ delectat oculos potissimum consecatur. Ea est enim tabulæ laus præcipua et virtus ut nulla in rectum ordinem digesta, nulla paribus paria relata exhi-

¹ Quint. Inst. orat., lib. VIII, 3. Ἐνέργεια et ἐναργῶς semper usurpantur ad significandum quidquid in tabulis ita expressum est ut quasi oculis subjiciatur ; gallice : *l'illusion*.

² *Id. ibid.*, lib. IV, 2.

³ *Id. ibid.*, VII, præf.

beat. Sed quod sua cuique disponendi lex et scriptori est et artificio, non illud ad id valet ut in rebus collocandis ille ab hoc nihil petere possit quod sit ipsi utile. Quod contra et percommode fieri posse iudicat Quintilianus, et multum inde scriptorem vel oratorem profecturum. Quid enim? Sit sane constitutus quidam et traditus rerum ordo in oratione disponendarum; is quidem sæpe observabitur cum magno oratoris commodo. Sed sæpe etiam accidit ut ex illo aliqua sint mutanda; et is illud probe intelliget qui quid in unaquaque re deceat, quid expediat perviderit. Hunc totum locum Quintilianus exemplis illustrat et exquisitis et cognitione dignissimis, adeo ut ipsum audire dicentem operæ pretium sit:

« In statuis atque picturis videmus variari habitus, vultus, status. Nam recti quidem corporis vel minima gratia est: nempe enim adversa sit facies, et demissa brachia, et juncti pedes, et a summis ad ima rigens opus. Flexus ille, et, ut sic dixerim, motus, dat actum quemdam effectis. Ideo nec ad unum modum formatæ manus, et in vultu mille species. Cursum habent quædam et impetum, sedent alia, vel incumbunt; nuda hæc, illa velata sunt: quædam mixta ex utroque. Quid tam distortum et elaboratum quam est ille Discobolos Myronis? Si quis tamen, ut parum rectum, improbet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua vel præcipue laudabilis est illa ipsa novitas ac difficultas¹? »

Potestne illa quam ars præ se fert varietas in disponendis figuris vel singulis vel conjunctis ac compositis, potestne, inquam, varietas illa rectius explicari? de qua disserens,

¹ Quint. Inst. orat., lib. II, 13, 8 et seqq.



quam scite, quam erudite Quintilianus contra illam rigidam veteris artificii statuam Discobolum Myronis ex adverso statuit, tam incitato motu elatum! Et quam utile exemplum a scriptore peti potest ex hac proposita similitudine? Hac enim admonetur ut provideat ne eadem semper dicendi lege se adstringat, ne uno rerum et verborum tenore patiatur orationem explicari. Ut in tabula corporum status a pictore variantur, sic et variandas esse in oratione figuras præcipit rhetor quæ « mutant aliquid a recto » sicut et nos de recto illo corporis habitu recedimus quum aut sedemus aut incumbimus aut respicimus ¹.

Age vero, ad reliqua ea pergamus quæ eodem in loco a Quintiliano proferuntur. Nusquam enim tam multa elegantius ex arte petiit aut uberius, quo illustriorem faceret rationem eloquentiæ. Nempe injuncta arti varietatis lex vetat ne ad certa quædam nos præcepta illigemus. In hoc quoque artificum instituta imitemur :

« Habet in pictura speciem tota facies ² : Apelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quædam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro dignitate non possunt? ut fecit Timanthes, opinor, Cythnius, in tabula, qua Coloten Teium vicit. Nam quum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulixem, addidisset Menelao quem summum poterat ars efficere, mœrorem : consumptis affectibus, non reperiens quo digne modo patris vultum posset exprimere, velavit ejus caput, et suo cuique animo dedit æstimandum ³. »

¹ Quint. Inst. orat., lib. IX, 1, 11.

² *Id. ibid.*, II, 13, 12.

³ Cf. Cic. Orator, XVIII, 74.

Legenti hoc, operienda esse in oratione quaedam, si exprimi pro dignitate non possunt, cui non succurrit ille Horatianus versus :

Et quæ

Desperat tractata nitescere posse relinquit ¹.

Cujus quidem exquisiti præcepti, nonne præclara interpretatio ex his exemplis existit a Quintiliano prolatis? Jam illud « *habet in pictura speciem tota facies* », quam erudite animadversum est, quam apte ad cognoscendam veterum pictorum disciplinam! Qui adeo hominis figuram colebant ut vel minimam ejus partem spectantis oculis præripere atque invidere vererentur. Hoc a Quintiliano dictum nos admonet de Philostrato in una ex primis suis Imaginibus dicente : « *deberi a pictoribus spectantium oculis ora pulchrorum adolescentium, eorum enim expertes picturas quasi cæcas esse dixeris* ². » Agitur autem de juvene cujus vultus, inclinato capite, ob id ipsum obumbratur; quæ res a pictore præter artis consuetudinem facta erat. Ad hoc idem præceptum nonne et illud pertinere videtur quod idem rhetor dixit de picta Olympi imagine in aqua se intuentis; cujus habitus erat non stantis, sed inclinati, ne, dum se unda repercussum despiciebat, contractæ corporis formæ deturparentur ³. Sed quid exempla, ut ita dicam, externa conquirimus? Ne a Quintiliano digrediamur, nonne aliud ipse sufficit exemplum à priore illo haud absimile; a quo traditur « *artifices, quum plura in unam tabulam opera contulerint, spatiis ea distinguere ne umbræ in corpora ca-*

¹ Hor. De arte poet.

² Phil. senior, Imagg., I, 2.

³ *Id. ibid.*, 21.

dant ¹. » Quis dubitat quin eodem et hoc referri oporteat? Ex quo patet aliud prorsus veteres pictores esse secutos, aliud recentiores in umbræ ac luminis tractatione; quippe illi, formarum præcipue curiosi, umbram quasi arti inimicam metuebant, providebantque sedulo ne figuris obsesset totis exhibendis, hi autem adjutricem umbram adhibentes ex ea petunt unde et singulis figuris et universæ picturæ vis major accrescat, omnibus inter se per umbram atque lumen connexis et conjunctis. Sed ne a proposito nostro discedamus, satis sit nobis ostendisse obiter ea quæ ex priscae artis institutis atque exemplis ad eloquentiam transfert Quintilianus non esse velut de medio sumpta, sed ex elegantiore quadam scientia proficisci.

III

De Quintiliano artis historico; quomodo diversas pingendi atque dicendi disciplinas inter se conferat.

Reliquum est nunc ut de Quintiliano artium historico pauca dicamus. Jam Cicero haud semel artis artificumque historiam persecutus erat, sed obiter et brevissimis verbis omnia complexus. Proinde hæc artificum apud eum commemoratio hominis est leviter rem attingentis. Plura suscepit Quintilianus in duodecimo operis sui libro. Hoc enim in loco, omissis dicendi præceptis, quum multa egregie, tum de oratoribus disserit qui sint, et quales, quam varii studiis ac voluntate, quantumque mutetur eloquentia temporum ac

¹ Quint. Inst. orat., VIII, 5.

locorum conditione. Sed antequam ad oratores convertat animum de pingendi fingendique artificibus præclarissime disputat ut hinc eloquentia, inde pictura sculpturaque coram constitutis, majus ex eorum comparatione unicuique lumen accedat.

Qui pictores fuerint, et quæ invenerint, et quibus temporibus, et quemadmodum ars ab initiis usque ad summum fastigium sit perducta, primum instituit dicere¹. Cujus artis tres quasi gradus commemorat atque processus: unum, incipientis; secundum, adultæ jam et aliquantum progressæ; tertium, efflorescentis magna ingeniorum copia ac varietate. Indicantur qui in quaque ætate proceres flourerint: Polygnotus in prima, tum Zeuxis et Parrhasius in secunda; in tertia vero, quum multi alii, tum præcipue Apelles, qui inter cæteros unus eminebat, deinde Euphranor. Nihil sane in hac divisione requiretur, si adjeceris et eos qui quasi ante conditam artem exstiterunt, quorum, ut monet Quintilianus, opera vetustatis modo gratia visenda sunt, et eos qui post artem inclinatham jam et magis magisque lapsam fuerunt. Næ, pretium operæ esset disserere quam idoneum se auctorem in his explicandis præbeat Quintilianus, quam sedulo singula compererit atque investigaverit. Constat certe omnia quæ ab eo traduntur mire cum Plinii testimonio congruere, quæ de Zeuxide, quæ de Parrhasio, artis illis conditoribus, quæ denique de tot præstantissimis artificibus qui viguerunt circa Philippum et usque ad successores Alexandri; quorum propriam uniuscujusque ac peculiarem virtutem uno tantum verbo notat, sed quam apte et congruenter! Jam paulo infra dicemus

¹ Quint. Inst. orat., XII, 10, 3 et seqq.

quantopere ejus de Zeuxide judicium cum iis quæ a Plinio et Plutarcho perhibentur conveniat. Quod ad Parrhasium pertinet non minor est de eo Plinii et Quintiliani consensus. Qui dicitur ab hoc « examinasse subtilius lineas », is ab illo refertur « lineis extremis palmam adeptus ¹ », et illud quidem « confessione artificum » : qui artifices, auctore Quintiliano, Parrhasium « legum latorem vocabant » quia omnia in pingendis corporibus scite circumscripsisset. Quin etiam plura Plinius de erudita illa linea Parrhasii disserit quam de ulla alia cujusquam artificis, Apellis, exempli gratia, in quo tamen « tanta subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem præcisæ ² » : adeo virtus illa quam Quintilianus notat in Parrhasio præcipua videtur ac propria ejus fuisse ! Quod vero de cæteris artificibus profert, id non minus recte dicit. « Cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, conspiciendis visionibus, quas *φαντασία* vocant, Theon Samius, ingenio et gratia, quam in se ipse maxime jactat, Apelles præstantissimus. Euphranorem admirandum facit quod et cæteris optimis studiis inter præcipuos et pingendi fingendique idem mirus artifex fuit ³. » Num aptius quidquam dici potest de unoquoque artifice ? De Protogene primum in quo « artis summa intentio erat ⁴ » tantumque studium in elaborando opere ut « manum de tabula nesciret tollere » ; ut et septem annos consumpserit ad pingendum inclytum illum Ialysum, colore huic tabulæ quater inducto ? Quid Pamphilus ? nonne rationem fuisse in eo

¹ Plin. Hist. nat., lib. XXXV, 36, 7.

² Petronius, Satyr.

³ Quint. Inst. orat., lib. XII, 10, 6.

⁴ Plin. Hist. nat., lib. XXXV, 36, 37.

facile concesseris, artifice omnibus litteris erudito, præcipue arithmetice et geometricæ, sine quibus negabat artem perfici posse ¹, eodemque tanta scientia in docendis aliis eccellente? Quid Apelles? Cujus præcipua in arte venustas erat, ut refert Plinius, quique collaudatis suis æmulis, deesse tamen iis « illam suam Venerem » prædicabat; « cætera omnia contigisse, sed hac sola sibi neminem parem ². » Theon autem Samius, ille quidem « concipiendis visionibus » insignis, nonne talis fuisse declaratur vel illa una ipsius tabula quæ militem in prælium euntem exhibebat, tam vividis pictum coloribus, ut et spirare et ruere et minari hostibus videretur. Id ipsum quod commentus est, nempe ut tibicinem collocaret juxta tabulam ad inflammandos bellico cantu spectantium animos antequam picturam proponeret conspiciendam, vim quamdam indicat mentis fervidæ ³. Ne omittatur Euphranor « optimis studiis inter præcipuos » habitus et pingendi fingendique peritissimus, ut Quintiliano videtur, qui et a Plinio dictus est longe cæteris præstitisse « docilis et laboriosus inter omnes et in utroque genere excellens. » Quid plura? Ex his omnibus quæ diximus satis constat Quintilianum in iis quæ de artificibus tradit auctorem esse locupletissimum.

Sed jam ad Zeuxin revertamur, de quo quæri potest an diligenter etiam Quintilianus notaverit quid apud eum vere sit laudandum. Hoc in loco nihil aliud nobis affert Plinius ad rem eam dijudicandam nisi quædam latissime patentia verba: scilicet « ab Apollodoro artis fores apertas Zeuxin intravisse ⁴ »,

¹ Plin. Hist. nat., lib. XXXV, 36, 44.

² *Id.*, lib. XXXV, 36, 17.

³ *Ælian.* Var. Hist., lib. II, cap. 44.

⁴ Plin. Hist. nat., lib. XXXV, 36, 2.

eumdemque « audentem jam aliquid penicillum ad magnam gloriam perduxisse ». Quibus verbis quid significare voluerit prorsus ambigeretur, nisi ea Plutarchus illustraret dicto quodam quod casu protulit : qui quidem Apollodorum tradit primum reperisse « φθορὰν καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς ¹ ». Sic pro inani illa verborum magnificentia Plinii dicentis splendide « artis fores ab Apollodoro apertas », aliquid certi affertur ac definiti. Nullam autem aliam ob causam nobis videtur Zeuxis a Quintiliano dictus « luminum umbrarumque invenisse rationem » quam quod scientiam illam ab Apollodoro repertam sibi vindicaverat. Quod quidem ipsius Apollodori querela declarat exclamantis « artem ipsis ablatam Zeuxin secum ferre. » Quid porro? quæ tandem erat ars illa quam Zeuxis veteri illi pingendi auctori præripuerat? nempe, quod ad colores pertinet, φθορὰ; quod ad lumen et umbram ἀπόχρωσις σκιᾶς. Horum verborum, quæ ex artificum lingua deprompta sunt, vis nobis est explicanda. Quam si quis penitus perspexerit, intelliget maxima artis inventa in tractandis coloribus umbraque iis designari.

Quæ φθορὰ vocatur minus ad nostrum propositum hic pertinet; sed, ne omnino prætermittatur, paucis dicendum est hoc verbo proprie dictam fuisse a pictoribus colorum temperationem, ut ex Plutarcho ipso ² et Porphyrio ³ accepimus, eodemque sensu verba φθεῖρειν et συμφθεῖρειν fuisse accepta. Notandum est obiter nosse Plutarchum non tantum qua voce utantur artifices, sed etiam quare talem usurpent. Quod sic instituit interpretari : omnia videlicet

¹ Plutarch. De Gloria Athen., 2.

² *Id.* Quæst. conviv., lib. VIII, 5.

³ Porphyr. De abstinentia, lib. IV, 20.

mixta citius corrumpi quam quæ pura sint ac sincera, mixtione pugnam, pugna mutationem afferente; ejus quidem quædam species sit corruptio. Corrumpi porro colorem si quis alius illi admisceatur¹. Quæ Plutarchi interpretatio mire congruit cum iis quæ de colorum mixtura disserit docte recentior quidam artifex præcipiens ut parce et prudenter commisceantur; duorum vel trium ad summum fiat permixtio; si plures una confundantur, jam aliquid morbidi, ut ipsius verbo utamur, e mixtura illa existere, unde accidat ut eorum fiat corruptio². Magni profecto momenti esse id quod a Plutarcho traditur, quis non intelligit? Ex hoc enim perspicitur quæ fuerint illa dicta a Quintiliano « prope rudia ac velut futuræ mox artis primordia » quæ vel ipso florente Polygnoto exstiterent; in quibus suspicari licet, ut nobis quidem videtur, pictores plerumque *colores planos*³ tantum, ut ex nostri sermonis consuetudine loquamur, inducere solitos esse. Hinc simplex ille color quem Quintilianus ipsi Polygnoto attribuit.

Sed jam hæc omittamus, ut ad id perveniamus de quo præcipue hoc in loco quærimus, ad illam scilicet ἀπόχρωσις σκιάς, iis sane respondentem quæ Quintilianus tradit esse inventa a Zeuxide. Ex Plutarchi verbis apparet Apollodorum primum artificem fuisse qui instituerit umbram ita variare ut non certus quidam finis esset hujus umbræ atque lucis, sed per continuam mutationem utraque in alteram verteretur. Ἀπόχρωσις enim nihil aliud est quam mutatio illa coloris qui ab albo profectus sensim ad ni-

¹ Cf. Plutarch. De defect. orac., 47. Τὰ παθήματα καὶ τὰς μεταβολὰς, ὡς ὄχρα μίχθεισα σκωπὶς ἴσχει, καὶ μέλανι μιλίαις.

² Couture, Entretiens d'atelier.

³ Gallice: Teintes plates.

grum perducitur. Cujus non injucundam imaginem Ovidius duxit ex similitudine Iridis arcus

..... in quo niteant quum mille colores
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit ;
Usque adeo quod tangit idem est, tamen ultima distant ¹.

Hæc est quæ ab artificibus dicebatur latine *commissura*, græce vero ἀρμογή ², verbo e musicorum lingua petito quo utebantur si quando tibia canentes ab altero modo ad alterum transibant, a Phrygio, exempli gratia, ad Hypophrygium vel Lydium ³. Hanc autem vocem non ad colores tantum pictores transferebant, sed etiam ad formas diversi generis inter se componendas et coagmentandas, velut si quis in pingendo centauro equum homini committeret ⁴.

Commissuram igitur hanc umbræ ac lucis invenerat Apollodorus, id est, ut aliis verbis idem significemus, medium illum colorem inter utramque interjectum quo distantia junguntur ⁵. Qui quum apte temperatur, tum id in pingendis corporibus perficitur ut alia eminentiora fiant, alia reductiora ⁶ (græce εἴσοχα et ἔξοχα). Subest enim voci σκιασις quædam formæ significatio, ut patet ex Hesychii interpretatione a quo sic explicata est subjecta huic notio : ἐπιφάνεια τοῦ χρώματος ἀντίμορφος ; unde Apollodorus qui umbram scite tractaverat σκιωγράφος a veteribus erat appellatus ⁷.

¹ Ovid. *Metamorph.*, lib. VI.

² Plin., lib. XXXV, 44.

³ Phrynichus Bekk., an. p. 15, 20. Vide Thes. Henr. Steph. verb.

ἀρμογή.

⁴ Lucian. XXII, 6.

⁵ Gallice : *La demi-teinte*.

⁶ *Id.*, *Le modelé*.

⁷ Hesych. ad verb. σκιά.

Verisimile est igitur invenisse quidem illam scientiam Apollodorum, sed alii consummandam reliquisse. Quod quum Zeuxidi contigerit, huic omnis laus hujus inventi, ut plerumque fieri solet, a posteris tributa est. Quum enim æquales fuerint Zeuxis et Parrhasius, utrique par gloria assignata est, in duabus maximis artis partibus; alteri, in umbra et lumine tractandis, alteri autem in extremis lineis diligentius examinandis. Cæterum non dubium esse potest quin Zeuxis, si quid ex Apollodori invento profecit, plurimum tamen huic novæ arti contulerit. Quod declarare videntur variæ illæ de eo narratiunculæ, qualia sunt ea quæ vulgo perhibent de uvis illis aves ipsas decipientibus. Quæ quidem ob id ficta esse manifestum est ut significaretur quanta vis esset ejus picturæ spectantium oculos veritatis imitatione fallentis. Sed credibile est errorem illum non magis e colorum veritate natum fuisse quam ex eo quod, umbris et luminibus diligenter custoditis, uvæ quasi e tabula exstarent.

Ideo tam multa de Zeuxide disseruimus ut manifesto appareret non minus recte de hoc quam de cæteris artificibus Quintilianum judicavisse. Nunc ad ea regrediamur quæ sunt instituti operis. Non inficite enim postquam artificum genera distinxit Quintilianus eumdem dividendi ordinem ad latinam eloquentiam transfert¹; in qua tres pariter dicendi formas reperit. Scilicet respondent Polygnoto « illa prope rudia ac velut futuræ mox artis primordia » exhibenti, Cato Gracchique cæterique ejusdem ætatis oratores; Zeuxidi et Parrhasio, qui inventis suis tantum arti contulerunt, Crassus atque Antonius; Apelli vero, in

¹ Quint. Inst. orat., lib. XII, 10, 10.

quo jam perfecta sunt omnia, aut potius Euphranori, circa plurium artium species præstanti, Cicero in omnibus quæ in quoque laudantur eminentissimus. Non minus diserte, ad sculpturam quoque conversus, singulos deinceps maximos auctores commemorat, eadem dividendi usus regula, videlicet indicans quid ars sensim progrediens, et quasi per manus tradita, profecerit; ut veritatem primum magis ac magis consecrati sint artifices et « spirantia mollius æra »; ut deinde pulchritudinem cujus duas eximias subinde species ars præ se tulerit, gratiam a Polycleto, dignitatem ac majestatem a Phidia affectatam; ut rursus, postquam id quo nihil sit præstantius assecuti sint artifices, veritatis iterum studiosi, in ea imitanda denuo elaboraverint, in quo aut laudarentur moderati ut Lysippus et Praxiteles, aut, ut Demetrius, nimii reprehenderentur. Eleganter prorsus divisa hæc ac definita esse quis neget? Variæne artis conversiones verius notari possint eodem se semper modo circumagentis, dum a natura proficiscitur, mox sensim assurgens ad id quod pulchrum est se erigit, deinde paulatim lapsa aut ad eandem naturam recurrit, sed illam quidem vitiosa imitatione persequens, aut ad omnia prava lenocinia delabitur. Neque aliæ sunt in pictura artis vices, aliæ in eloquentia. Egregie hoc pervidit Quintilianus. Sed quis ejus studium non plus laudaret, si quæ de sculptura notavit, ea magis dedita opera ad eloquentiam et oratores traduxisset, si quod instituerat dicere, id esset diligentius persecutus. Hoc enim unum in eo requirimus quod leviter tantum comparisonem illam attingit. Jam inde ab initio: « Differunt, inquit, invicem oratores non specie tantum, ut signum signo, tabula tabulæ, et actio actioni, sed genere ipso, ut græcis tuscanicæ statuæ, ut

asianus eloquens attico. » Quis non libenter dixerit : Age vero, urge propositum, et quæ hic breviter complecteris, de iis pluribus dissere. Sed frustra aliquis monuerit : vix hanc ingressus viam subsistit Quintilianus. Quid autem? Quantum animos tenuisset si diversas pingendi et dicendi disciplinas, quæ apud veteres exstiterunt, si dissimilia genera inter se contulisset! Fuere enim attici oratores, fuere asiani; item in pictura duo primum genera floruerunt, teste Plinio : helladicum et quod asiaticum appellabant¹. Mox tertium et in pictura et in eloquentia est adjectum. Hinc enim, propter auctoritatem Eupompi, tanti illius Sicyonis magistri, diviso helladico, tria facta sunt : ionicum, sicyonium, atticum : inde vero ex Æschinis disciplina rhodium ortum est. His omnibus quid diversum inesset, quid simile, quibus virtutibus attici, quibus asiani excellere, neque oratores modo, de quibus exquisitissime est et a Cicerone et a Quintiliano disputatum, sed etiam artifices, id demum explicare, id edere quam jucundum fuisset atque utile! Quid, quod non ab atticis tantum asiani discrepant, sed etiam attici inter se sunt diversi, si modo attice dixit Lysias, si Isocrates, si Demosthenes, illi quidem dicendi facultate omnes excellentes, sed iidem studiis dissimillimi? Quid attici pictores? Nonne et ipsi simili modo differebant? Quos utinam Quintilianus vel obiter attigisset qui tam argute de oratoribus atticis qui et quales sint quærit! Quam juvaret eum audire nonnihil de his inter se collatis disserentem. Aliquid hujusmodi adumbravit, ut supra diximus, Dionysius; sed quam pauca dixit! Quæ si diligentius esset executus Quintilianus, tam idoneus auctor, tantoque Dionysio

¹ Plin. Hist. nat., lib. XXXV, 36, 13.

locupletior, quid esset cognitione dignius, quid magis eorum teneret animos qui arte delectantur? Sed hæc hactenus; nihil enim attinet quæ desunt desiderare. Habendæ sunt potius gratiæ Quintiliano propter ea quæ nobis de artificibus tradidit, tam certa, tam sedulo explorata. Ea illi vel præcipua laus tribuatur, quod aliquid ad veteris artis notitiam et ipse contulerit, de qua tam pauca exstant hodie litterarum monumentis mandata, quodque Ciceronem æmulatus traditam ab eo artis disciplinam tam egregie tuitus est, non passus eam unquam ab elegantia doctrinæ segregari¹.

¹ Unum est omnino ex iis quæ Quintilianus de pictura sculpturaque dixit in quo mihi ejus scientiam judiciiue elegantiam requirere posse videor. Quum enim de hoc quærit « naturane plus ad eloquentiam conferat an doctrina » exemplum a sculptura mutuatus, plus certe materiæ tribuit, quam par est, cum hoc profert : « si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere, Parium marmor mallet rude ; at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quam in marmore. » (lib. II, 19. 3.) Quis enim non intelligit vel minimum materiæ impressum artis vestigium a summo artifice qualibet materia esse pretiosius?

The first part of the book is devoted to a general
introduction of the subject, and to a description of
the various forms of the disease, and the
different stages of its progress. The author
then proceeds to a detailed account of the
causes of the disease, and the manner in which
it is communicated from one person to another.
He then discusses the various methods of
prevention, and the treatment of the disease,
and concludes with a chapter on the
prognosis of the disease, and the
importance of early treatment.

CAPUT VII

De Longino. — De cæteris reliquis rhetoribus.

— Conclusio.

In hac rhetorum commemoratione eloquentiæ præcepta ad picturæ et sculpturæ disciplinam haud semel revocantur, si nulla fieret Longini mentio, aliquid sane desideraretur; quippe qui superiorum exempla secutus artes et ipse, dum de eloquentia disserit, subinde respiciat. Pauciora tamen profert ad eas pertinentia, ut in brevissimo opere, quam ut cerni possit utrum in artium cognitione ac scientia multum sit versatus. Forsitan tamen suspicari licet eum in his rebus tam multum intelligere quam Ciceronem et Quintilianum. Recordemur modo nunc illud, quod supra diximus, tam erudite ab eo petitum e luminis umbræque ratione et ad eloquentiam translatum, ita ut appareat iisdem artibus quibus in pictura, quædam aut obscurari in oratione aut illuminari. Quod quidem hujus modi erat ut ex ipsis artificum libris et quasi e pingendi officinis depromptum videretur. Ne illud quidem omittamus quod dixit de scriptoribus: in eo illos elaborare ut quum id quod sublimiter dictum sit mire delectet animos, verbis diligenter electis et

vim et decus et venustatem affingant « tanquam pulcherrimis statuis ¹ » quod quidem dictum vere artificem arguit. Sed nihil hujusmodi mihi videtur commodius disseruisse quam quum de eo quod sublime dicitur disputans, paucis verbis explicat quid in hoc genere intersit inter statuariam et poesim aut eloquentiam.

Notum est horatianum illud :

... ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis.

Hoc idem et egregie omnino dictum, et eo etiam verius, si ad sublimia præstantissimorum ingeniorum opera traducitur, Longinus exquisitis verbis confirmat: dandam esse ei veniam, si quis aliquid peccaverit in eo quod sublime est; in cæteris quidem rebus, qui excellat, eum hoc demum præstare quod cadat in hominum naturam; sed illa dicendi sublimitate nos usque ad deos quasi evehi; si quid aliquis præclarissimorum illorum virorum grande et elatum protulerit, vel hac una re ejus vitia, si qua sint, posse pensari omnia. « At enim dixerit aliquis eo colosso in quo plura reprehendantur non superari parvam illam statuam in qua perfecta sint omnia, Lysippi Doryphorum ². » Egregie a Longino hoc diluitur, alia esse artis, alia naturæ opera disserente; in illis mirari nos diligentiam, in his magnitudinem; ea porro quæ homo eloquatur a natura proficisci, et ob id ipsum naturæ operibus similia esse putanda. Præterea in statu is id unum quæri ad hominis similitudinem probe directæ sint, id est, exacta sit partium convenientia, apta-

¹ Longinus, *Περὶ ὕψους*, c. XXX.

² *Id. ibid.*, c. XXXVI.

que omnium inter se membrorum compositio; in oratione autem id maxime laudari, si supra humanam naturam quasi evehatur ¹. Ex quo perspicitur hinc omnia certa esse et quasi dimensa, et in diligenti imitatione vel præcipuam artis laudem positam esse; inde autem aliquid quasi infinitum existere, qualis est ingenii humani natura, nullis certis terminis circumscriptum: quæ ex eo oriantur, si modo sublimia sint, iis cætera omnia prægravari. Ex iis omnibus a Longino luculente disputatis patet quid sit cur id non possit transferri ad artes cæteras quod de colosso jure dicitur cum Doryphori statua comparato. Hæc quoque, ut nobis videtur, causa accedit, quod aliter magnum est id quod oculis percipimus, aliter quod mente complectimur. Quod sublime dicitur, id, in statua, minime ex ipsa molis magnitudine metimur. Neque est quisquam qui non Plinio assentiatur irridenti « insaniam suæ ætatis in pictura, » imaginem scilicet Neronis qui se jusserat colosseum pingi centum et viginti pedum in lineo. Non est quod artifex ad movendam admirationem tanta tamque immania moliatur; vel in minimis maxima laus esse potest artificiiis; nam in his etiam totam quasi artem comprehendi posse atque includi merito dixeris. Si quid enim est omnibus numeris absolutum, in eo, quodcumque est, artificem suum munus atque officium omnino explevisse, quis non intelligit? Quid porro? Ipsa ars id perficere potest (tanta vi pollet!) ut quæ parva sint, ea, si sit apta rerum omnium compositio, maxima esse videantur. Cui non hoc in loco succurrit

¹ Ἐπὶ μὲν τέχνης θαυμάζεται τὸ ἀκριβέστατον, ἐπὶ δὲ τῶν φυσικῶν ἔργων τὸ μέγεθος· φύσει δὲ λογικὸν ὁ ἄνθρωπος, κατὰ μὲν ἀνδριάντων ζητεῖται τὸ ὅμοιον ἀνθρώτῳ, ἐπὶ δὲ λόγου τὸ ὑπεραίρον, ὡς ἔφη, τὰ ἀνθρώπινα.

inclytus Lysippi Hercules qui se videndum, ut ait poeta,
artifici indulserat :

parvusque videri,
Sentiri que ingens ¹.

Adeo, licet mensura intra pedem unum staret, tamen
tantam per arctos fines inclusam dei majestatem repræ-
sentabat !

Talia nobis succurrunt, dum quid de hac re senserit Lon-
ginus interpretamur. Sed jam satis sit de hoc dictum.
Apparet enim non incallide hunc rhetorem ea quæ ad
artes pertinebant in tradendis eloquentiæ præceptis adhi-
buisse.

CONCLUSIO

Ex his omnibus, quæ supra diximus, intelligitur Cicero-
nem primum in rhetoricis libris præclarum illud oratoriam
artem docendi genus esse auspicatum. Etenim ante eum ne-
que græcos rhetores neque latinos verisimile est aliquid
hujuscemodi tentasse. Quam viam princeps munierat
pauci ingressi sunt, hi fere soli quos nominavimus, Diony-
sius Halicarnassensis, Quintilianus, Demetrius, Longinus.
Abstinet exemplo auctor dialogi de oratoribus, Tacitus, ut
plerique existimant, neque quidquam omnino profert,

¹ Stat. Silv., IV, 6.

dum de eloquentia et oratoribus disserit, quod sit e pictura sculpturaque petatum. Græci vero vetus illud iter diu tritum minime deseruerunt. Exstant enim nonnulla rhetorum opera qui sub Cæsarum imperio floruerunt, Hermogenis scilicet, Aphthonii et Theonis. In eorum autem libris nihil omnino quod ad artes pertineat inveniri potest, nisi forte illud est proferendum quod posuit in operis principio Theon, tritum videlicet et vulgare præceptum, iis qui in eloquentiæ studio versantur transferendum esse animum ex dicendi artis præceptis ad quotidianas scribendi exercitationes, haud secus atque iis qui picturæ student supervacaneum esset operam dare cognoscendis Apellis et Protogenis et Antiphili operibus, nisi et ipsi ad pingendum accederent. In illis de quibus loquimur libris omnia sicca sunt jejunaque et exsanguia, ad scholam tantum comparata. Uberiora sane et jucundiora de demonstrativo genere Menander disseruit cum aliqua lectoris delectatione; sed idem nusquam ad artes animum refert. Quod si oculos ad rhetores latinos minores convertimus, quantum obstupescimus! Eone recidit præclara illa ars ad tantum fastigium a præstantissimo doctore perducta! Ubi gravitas? ubi lepos? ubi tot tantarumque artium comprehensio? Exustus siti flos ille ubertatis exaruit! Pro locis illis de pictura et sculptura tam egregie tractatis præcepta subierunt nuda exiliaque dividendi, distinguendi, definiendi. Nihil aliud reperias in tot libris illorum rhetorum qui serius exstiterunt Fortunatiani, Victoris, Severiani, Capellæ. Quorum opera si attingimus, recentes adhuc a legendis Tullii libris, quam cito odimus ac respuimus: a magistri disciplina prorsus defecerunt. Egregia tamen illa studia quæ apud eximios rhetores vigerant, paulum quidem intermissa, non prorsus

obsolevere. Exstiterunt alii græci rhetores qui ea iterum celebraverunt, quorum princeps Philostratus pictura mire delectatus in eaque eruditissimus ad eam rursus juvenum animos revocavit; quæ tradita ab eo disciplina usque ad sera imperii Byzantini tempora permansit.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. non. octobr. ann. MDCCLXXXI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.



INDEX CAPITUM

	Pagina.
PROCEMIUM.....	9
CAP. I. — Quam parati essent legentium animi apud veteres ad probandum quidquid a pictura et sculptura scriptores mutuarentur. — Quid mutuati sint ab iis artibus Plato, Aristoteles et Plutarchus.....	13
CAP. II. — Quæ sit picturæ et sculpturæ cum eloquentia cognatio.....	25
CAP. III. — Neminem rhetorum ante Ciceronem quidquam a pictura et sculptura in tradenda sua arte mutuatum esse.....	29
CAP. IV. — De Cicerone.....	33
CAP. V. — De Dionysio Halicarnasseo.....	67
CAP. VI. — De Quintiliano.....	87
CAP. VII. — De Longino. — De cæteris reliquis rhetoribus. Conclusio.....	115

